B.N.C.F.
MAGL..5.6.199.
CF005270816

Biogr. Sen. 30 c
5. 6. 199

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN XVI.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

PISIS MDCCXCV.

APUD ALEXANDRUM LANDI

Superioribus Annuentibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO FERDINANDI
AUSTRIACI
ET MARIAE BEATRICIS
ATESTINAE FILIO.

ANGELUS FABRONIUS.

Non assentatorie loqui videbor, si in Te, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, sitam esse dicam spem litterarum, & Italorum gloriae. In sinu enim Matris educatus, qua nulla femina lectior, nulla humanior, nulla ingeniosior, nulla ad captandas hominum voluntates felicior unquam extitit, ea vel a prima aetate indicia das studii in omnem praeclaram artem, quae Principes vi-

Digitized by Google

viros immortalitati commendat, ut omne curriculum industriae Tuae non solum jucundum, sed etiam admirabile videatur iis, quorum in disciplinam traditus fuisti. Ob tanta & naturae & fortunae bona Tibi omnes merito gratulantur, omnes vota Deo immortali pro incolumitate Tua lubentes nuncupant, in omnium denique mentibus inhaeret augurium quoddam Te majorum Tuorum, quorum res gestae iisdem, quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur, gloriam aequaturum. Mihi quidem nihil optabilius unquam accidit, quam Tuum Augustum nomen in his de vita illustrium Italorum voluminibus posse interponere, Tibique & opus ipsum, & scriptoris nomen commendare.

Jo. Baptista Ciampolius

Instituenti mihi scribere de Italis doctrina excellentibus propositum maxime fuit bono in lumine collocare per quos gradus mathematicae & physicae disciplinae ad eam, in qua nunc sunt, altitudinem pervenerunt, quod Galileii ejusque discipulorum opera praesertim factum fuisse nemo dubitabit. His itaque totum primum operis volumen consecravi, & quod e segete ad spicilegium relicta fuerat stipula, illuc, unde discesseram, redii, cum in scribenda historia Academiae Pisanae de mathematicis mihi dicendum fuisset. Persequar nunc si quid supererit, & quod nemini cessit studio in Galilejum praeceptorem suum Joannes Ciampolius, ut pro illius defensione fortunas suas maximum in discrimen adduxerit, ab eo scribendi initium sumam. Natus is

Digitized by Google

est Ludovico Ciampolio Florentino cive; & Francisca Cervonia Collensi; nec defuere qui paternam familiam ex Cavalcantiis inter suos nobilitate facile principibus originem traxisse affirmant: contra alii humilem fuisse dicunt; omnes vero in eo consenserunt elogio, tali ingenio praeditum fuisse Joannem, ut minime eguisset fumosis majorum imaginibus, quo commemoratio ejus nominis cum omni posteritate adaequaretur. Principio frequentavit Jesuitarum scholas, mox Dominicanorum; ab iis enim didicit litteras illas, quibus pueri ad humanitatem informari solent, ab his logicam, ceterasque philosophiae partes. Fama jam per urbem vulgaverat summa prorsus ab eo portendi, qua motus Jo. Baptista Stroctius vir nobilitate & doctrina suae civitatis facile primus illum domum suam sic recepit, ut filii loco se habiturum spoponderit. Nihil tam flexibile, & quod magis ipsius arbitrio fingeretur, quam ingenium Ciampolii, de quo cum sermonem aliquando habuisset coram Cosmo II. M. E. D., hic concupivit audire adolescentulum de proposita quaestione disputantem, & Italicos versus ex tempore funden-
Digitized by Google

tem. Vix dum jam coetu dimisso, comperit Galilejus Ciampolium ignarum esse optimae philosophandi rationis, quare auctor illi fuit, ut mathematicorum pulvere erudiretur, seque sejungeret a Peripateticis, cum quibus non suum judicium, sed temporum vincula conjunxerant. Patuerunt illius aures hujusmodi consiliis, & desiderio incensus magis magisque in studiis proficiendi, facile a Stroctio subsidia obtinuit (nil enim a patre, qui in summis erat rei familiaris angustiis, sperare poterat) ad illorum cursum in Patavino Lyceo absolvendum. Eo in loco amicitiam junxit cum Aldobrandiniis fratribus, quam necessitudinem sancte colendam putavit, & eorum fortasse commendatione, cum Bononiam venisset, in familiaritatem intravit Maffei Barberinii Cardinalis, qui tum illam urbem Pontificis nomine gubernabat. Nemo autem ignorat quam studiosus hic esset poesis, quantumque tribueret iis, qui in ea excellere putabantur. Tali modo cum Joannes aetate jam aliquantum processisset, & ipsam aetatem virtute & doctrina anteiret, Romam se conferre deliberavit ea mente, ut juris prudentiam

exerceret, cujus insignibus Pisis decoratus fuerat, & in qua gratiae, gloriae ac praesidii plurimum inesse intelligebat. Annuit non modo Strotius, sed etiam pecuniam, quae esset ad iter & victum necessaria, assignavit. Romanae nobilitatis virtute, eloquentia atque existimatione princeps & erat, & omnium judicio habebatur Virginius Caesarinius, quem ita sibi conciliavit Ciampolius, ut nullius unquam fuerit amicitia conjunctior. Habitavit apud ipsum (1), quamque carum haberet, moerore funeris, flebilibusque carminibus indicavit. Quanquam nihil minus vellet quam ab eo communibusque studiis sejungi, coactus tamen est domesticis quibusdam negotiis remeare in patriam, ubi liberalitate, comitate ac benignitate tanta a Cosmo II. acceptus fuit, ut magna praesidia, si in Etruria commorari

---

(1) *Extant Ciampolii litterae datae Romae Decembri an. 1616. ad Galilejum, quibus illi nuntiat*: Venni per alloggiar dal Sig. Don Virginio due giorni, e la cortesìa di questo Sig. non mi vuol lasciar partire.

voluisset, sibi suisque polliceri ab eo potuisset. Omnino sermonibus suis aegro Principi suppeditare videbatur, ubi conquiesceret ac levaretur. Nihilo tamen minus majora spectans Romam rediit iis diebus, quibus e vita sublatus fuit Summus Pontifex Paullus V. Qui illi successit Gregorius XV. commendatione Alexandri Ludovisii Cardinalis delegit Ciampolium, cujus in conscribendis epistolis (Secretarium Brevium dicunt) opera & ingenio uteretur, quod apud Romanos Pontifices munus longe honestissimum est. Is autem eo ita munere functus est, ut industria ac fide Pontifici illi maxime satisfaceret, qua re facillime augere honestatem & facultates suas potuit. Verum usque eo ab hac cupiditate remotus atque abhorrens fuit (quod vix credibile visum iri puto, iis praesertim temporibus & moribus) ut nullum sibi unquam sacerdotium a liberalissimo & sui amantissimo Pontifice petierit. Multis tamen auctus est, & in collegium quoque Canonicorum Vaticanae Basilicae cooptatus. Post cum ex hac vita Gregorius excessisset, ipse, ut moris est, orationem habuit ad Cardinales de novo creando

Pontifice, qui fuit Urbanus VIII. Hic statim in suo munere Ciampolium confirmavit, & a cubiculo esse voluit, cui praefecit Virginium Caesarinium, quam ob conjunctionem munerum, & propter singulares, quas omni tempore sibi dederat Barberinius benevolentiae declarationes, beatissimum se esse putabat. Tum coepit ambitio quaedam illum ad honorum studium ducere, eaque propter nullam praetermittebat occasionem magis magisque demerendi sibi Pontificem ac Barberinios omnes. Carminibus Italicis celebravit nuptias Thaddaei Barberinii & Annae Columnae; saepe excurrebat in Pontificis laudes; nullum recusabat extraordinarium mandatum, quod ab eo habuisset, (& plura sane de gravissimis rebus habuit) quin immo ambitiose appetebat, cum quotidie fere in ejus colloquium veniret; demum sermones de poesi, quibus ille maxime delectari noverat, serebat, non ut institutor, sed ut laudator carminum, quae Pontifex ipse pangebat. His aliisque, quae sunt aulicorum propriae, artibus auctoritatem & nomen habebat, sic ut omnium oculi in illum conjecti essent. Vivebat etiam splendide, vocabat ad

convivium eos, qui in artium studiis liberalissimis doctrinisque versabantur, neque usitatis solum rebus, sed etiam quaesitis enitebatur, ut tueretur dignitatem suam. Omnino multa ambitiosius facere solebat, quam ejus honos postulabat, quae non solum invidiam, sed etiam odium multorum in eum concitarunt. Hos si audiisses tam insolens erat, qui se Jovem esse diceret, tam ineruditus, qui Minervam suam esse sororem existimaret, tam amens denique, ut prae suis carminibus nulla esse putaret Areostii, Tassii, Virgilii ceterorumque celebriorum poetarum. Ipsa opinio, quam de se habebat, offendebat Pontificis animum, qui non sacrorum modo, sed omnis etiam doctrinae & eruditionis princeps dici volebat. Vel ii ipsi, qui principio ejus honori faverant, ipsum evolare altius noluerunt, neque mediocriter ille commotus est, cum tantam voluntatum commutationem repente factam esse vidisset. Postremo cum aperte nimis pro suo more improbasset quaedam, quae minus opportuna esse judicabat, quaeque scribenda jusserat Pontifex, harum litterarum subscriptio aliis commissa fuit, & ipse

cum otium, quod ei inimicorum fraudes dederunt, consumpsit in litterarum studiis. Nam quamdiu Ciampolii fuit ambitionis labore vita districta, etsi ingenii laude floruerit, non admodum multa, si carmina Italica excipias, litteris mandavit. Quod semper statuit neminem esse posse perfectum poetam sine magna elatione animi, quam ipse a natura habuerat, summa confidentia ad scribendum accedebat: crebras consectabatur sententias, novas, quaeque venerant in mentem ante ipsum nemini; translata immania, unde nunquam existimasses petita, atque prorsus inverecunda, genus orationis altum, exaggeratum, tumidum, comprehensionem verborum non semper apte & numerose cadentem, sed subobscuram, implicatam, & intellectu difficilem. Nil vero minus aptum erat musicis modis illius carminibus, quanquam haec prorsus ad catilenam facta esse judicaret, nec experientia unquam valuit ad hunc ei errorem auferendum, etsi iis temporibus hominum aures non essent fastidii delicati. Quamobrem, ut ait Erythraeus, in illius notandis vitiis plus, quam par erat, severus, jure poterat a Joanne, si quis forte

hanc ab eo indolem hauserat, audire, quod olim tibicen Antigenidas discipulo, sane frigenti ad populum dixisse narratur: mihi cane & musis; mihi cane, & iis, quibus hoc dicendi genus probari intelligis. Porro si Ciampolius alia aetate vixisset, nec sibi tantum arrogasset, ut se unum imitatione & admiratione dignum putasset, nec ingenii aestui nimium indulgens in rupes fere semper musas protrusisset, facile illum inter principes Lyricos Poetas numerasses. Verum si ex hac ipsa audacia aliquid laudis tulit (1), omnes tamen

---

(1) *De eo & Chiabrera haec Menzinius in sua Arte Poetica.*

Talor nutre pensieri alti orgogliosi
  La Pindarica cetra: indi repente
  Par che si abbassi, e che si adagi e posi.
E tal costume osserverai sovente
  Nel Ligure Poeta, e in quegli ancora,
  Cui Febo al crin promise ostro lucente.
Ma lo stil che cotanto in lor s'onora,
  Vè che per te non corre, e che al pareggio
  Perde la tua moneta e si scolora.

Digitized by Google

fateri debent, illos, qui hoc dicendi genus sequerentur, ab optimo plurimum abfuturos. Quae pro illius carminum defensione scripsit, vulgavitque Romae an. MDCXLVIII. Sfortia Pallavicinius, hominis quidem non sunt in hac arte exercitatissimi, nec quamvis magno conatu ac studio amici caussam egerit, abjecta nobilitare, luxuriantia secare, inflata temperare, atque obscura illustrare potuit. Neque in epistolis Pontificis nomine scribendis ab ingenio suo discessit Joannes. Plurimum enim absunt ab elegantia Latini sermonis, & sunt ipsa barbarie deteriores exquisitae nimis & longe petitae sententiae. Exemplum earum habes in iis, quas nos vulgavimus (1), quibusque Urbanus VIII. Ferdinando II. Galilejum commendavit. Minime enim tum immutata erat hujus Pontificis voluntas in Galilejum; exarsit vero adeo iracundia in hunc & Ciampolium, cum ejus honori videret esse fautorem, ut nullo modo placari posse videretur. Atque

---

(1) Tom. I. Lettere inedite p. 60.

hinc quoque caussam capies abalienati in Ciampolium Pontificis animi, qui palam dictitabat se ab eo turpiter deceptum fuisse, cum veniam obtinuisset Galilejanos dialogos *de scientia nova* imprimendi (1). Atque utinam hoc Galileii studium, ejus instituta & praecepta sequens, in iis, quas ab aulae strepitu remotus scripsit dissertationibus philosophicis, patefecisset. Mens quidem erat illi naturalem philosophiam magna ex parte declarare, sed non satis videbat quid in quaque re verum esset, nec sequebatur dicendi rationem apertam, simplicem & nativo colore ornatam, quibus virtutibus maxime commendantur Galileii scripta. Eodem quoque tempore opus inchoavit de Christiana politica, cujus specimen habes in dialogo, quod *Zoroaster* inscribitur, & in defensione, quam suscepit Innocentii II. cujus concessu omnem vim sui juris obtinuis-

(1) *Harum rerum monumenta vide in vol. II.* delle lettere inedite p. 276. & seq.

Digitized by Google

nuisse contendit Rogerium Guiscardum, ceterosque Northmannos reges in universum Siciliae regnum. Vulgavit haec Romae an. MDCLXVII. Jacobus Antonius Celsius, & Clementi IX. nuncupavit, dolens quod cetera, quae litteris mandaverat Joannes, minime obtinere potuisset. Is enim Uladislao IV. Poloniae Regi testamento legaverat scripta sua, quod huic magno beneficio se obstrictum putabat ob oblatum humanissimis honorificentissimisque litteris patrocinium adversus invidorum machinas, quas praesertim commoliebantur, cum ei spes aliqua ostentabatur mitiorem in se fore Summi Pontificis animum (1). Historiae

---

(1) *Scribens ad Marcum Antonium Eugenium ait.* Quando S. S. ha fatto credere di volermi beneficare, la calunnia mi ha fatto sempre ricevere qualche disgusto notabile .... Nel quart' anno che mi teneva confinato sopra il miserabile scoglio di Montalto, N. S. mostrò qualche compassione della mia disavventura, e non poco gusto della mia obbedienza. Dopo ciò fui

etiam monumentis mandanda suscepit illius Regis praeclara & immortalia facta, quod tamen opus morte impeditus absolvere minime potuit. Obivit hanc christiane die Nativitati B. M. V. festo in urbe Aesi an. MDCXXXXIII. cujus nuntio audito, Urbanus VIII. dixisse fertur: *magnum virum amisimus*. Solent enim homines vel invidiosissimi mortuis laudes facile impertiri. Illa potiora judicamus, quae de eo Favoritus (1), Chiabrera (2), Adimarius (3) aliique praedicarunt, quorum testimoniis in clarissimis suae aetatis viris Ciampolium ponere minime dubitavimus.

---

sepellito a Norcia, e spogliato dèi frutti canonicali . . . . Quando il Papa loda, il Ciampoli trema.

(1) In vita Virginii Caesarini.

(2) Suis in carminibus.

(3) In Praefatione ad Pindarum a se versibus Italicis redditum.

Digitized by Google

Carolus Datius.

Venio nunc ad hominem eruditissimum elegantissimumque, quo plurimum sane gloriari debet Etruria, quemque Varronem Etruscum appellare solemus. Is est Carolus Datius nobilissimo genere Florentiae natus postrid. Kal. Octobris an. MDCXIX. patre Camillo, matre autem Flammetta Arrighettia. Nihil fortunatius sibi accidere potuisse testatur, quam ut ea in domo educaretur, ad quam venire solebat Galilejus, a quo puerulus munusculis, adultus vero suavissimo pastu animorum, id est philosophia oblectatus fuit (1). Humaniores ve-

(1) Nel riandar col pensiero la mia vita passata io non incontro rimembranza più antica, nè più

Digitized by Google

ro litteras, ad quas eum formaverat natura, didicit a Romulo Bertinio presbytero, qui in bonis lyricis poetis tum numerabatur. Dolebat illi, quod patris imperio cogeretur quoque mercaturae operam dare, cum id in lucro unice deputaret, quod ad dicendi faciendique sapientiam conduceret. Atque hoc quidem

---

gioconda nella mia fanciullezza, che l'aver conosciuto fino avanti quegli anni, in cui nè anche il buono dal reo si distingue, Galileo Galilei, ammirato poscia da me nell' età più adulta per lo primo ornamento della mia patria, e del nostro secolo, in cui egli visse, tante e sì belle cose operando. Usava egli domesticamente in quella casa, ov' io fui da bambino allevato, e compiacendosi delle festose accoglienze, che io gli faceva, gentilmente mi vezzeggiava, portandomi spesso le chicche. Facilissimo pertanto trovai l'adito appresso di lui nella mia adolescenza, e largo campo mi si era offerto di attingere in gran copia da quel mare inesausto le acque delle scienze più nobili, s' io non avessi trascurato sì bella occasione, e che l'ingegno mio ne fosse stato capace. *Dissertazione sull'utilità e diletto che reca la Geometria.*

consentaneum erat illius ingenio, & exemplis majorum suorum, quorum plures doctrinae laude floruerunt. Enitebatur igitur, ne praeceptores desiderarent industriam suam, aut diligentiam, & cum coepisset nobiliores litteratorum hominum coetus frequentare, in iisque orationes quasdam de laudibus clarorum virorum habuisset, statim oratoris, elegantissimique scriptoris famam consecutus est. Habebat hoc a natura ipsa, ut cum suavitate & copia dicendi conjungeret magnum vocis splendorem, & summam motus dignitatem, ut jam prope oratorem perfectum illum non dubitasses dicere. Et quia illa aetate perpauci erant, in quibus naturalis inesset, non fucatus nitor, utens verbis & sententiis grandioribus illud obtinuit, ut deerrantibus etiam non displiceret. Nec solum in verbis eligendis, sed etiam collocandis, & comprehensione numerosa devinciendis nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis & conformationibus. Id praesertim intelliges ex oratione de laudibus Cassiani a Puteo (alter Peireskius is appellabatur) quae tanto arti-

Digitized by Google

ficio scripta est, & tot continet ornamenta dicendi, ut nihil possit ultra. Equidem Datio tantum tribuo, ut eruditorum disertissimum, disertorum autem eruditissimum fuisse putem. Ipse cum praestantissimum ingenium contulisset ad perfectam geometriae & rerum physicarum scientiam, ducibus Galilejo & Torricellio, magnus in his facultatibus evasisset, si eas unice colere mens illi fuisset. Sed homo Graecis, Latinis, Italicisque litteris eruditissimus, antiquitatis nostrae, & in inventis rebus, & in actis, scriptorumque veterum litterate peritus, idemque illarum artium, quas liberales appellamus, intelligens existimator in plura studia distrahebatur. Ad id non mediocres labores sustinere debuit in Etrusco lexico cum sex aliis doctis viris amplificando, & in exercendo munere, quod illi demandatum est publice in Lyceo Florentino Graecas Latinasque litteras docendi. Postquam e vivis excesserat Jo. Baptista Donius (evenit id exeunte anno MDCXXXXVII.) suffectus in illius locum fuit Alexander Adimarius, quod illi grave accidit propter decrepitam aetatem (agebat enim tum septuagesimum annum) & pro-

pter valetudinis incommoda. Itaque tres post menses supplicavit Magno Duci, ut suscepto onere exolveretur, quod facile obtinuit, & quia loco illustri & excelso sita erat laus illius, & quia aderat Datius, qui respondere tanti viri gloriae facile posse judicabatur (1). Et profecto minime ille fefellit expectationem civium suorum, quibus & consuluit ipsos eorumque liberos vehementer excitans ad patrii sermonis elegantiam dignitatemque tuendam.

(1) *In haec verba rescripsit Princeps*. Concedesi come si domanda, con che per quest' anno cominciato il *1*. Novembre scorso, e per gli altri futuri, che vivrà il Supplicante, il Camarlingo delle Decime Ecclesiastiche gli paghi a ragione di Sc. 80. l'anno delli 200. provvisione solita di detta cattedra. Persio Falconcini 16. Feb. *1648*. *Binos post dies jussit Datium in illius locum substitui*, con che per il tempo che vivrà Aless. Adimari non dovrà conseguire delli Scudi 200. provvisione solita di detta cattedra, che Scudi *120*. l'anno, e interamente Sc. *200*. dopo la vita di detto Adimari, *quod accidit an. 1653*.

Qua de re dissertationem edidit, multis argumentis probans bene Etrusce loqui in magna laude ponendum non tam sua sponte, quam quod esset a plerisque neglectum, qui cum se externis oblinevissent moribus, omnem illam salubritatem Etruscae dictionis, quasi sanitatem, perdidisse, & loqui pene dedidicisse videbantur. Ut vero praecepta elocutionis elegantissimorum scriptorum exemplis confirmaret, utque haberent adolescentes in omni solutae orationis genere, quod imitarentur, optima quaeque selegit, atque opus inscriptum *Prose Fiorentine* vulgavit, quod eruditissima praefatione ornavit, ex qua una intelligi potest Datium prorsus factum fuisse ad dicendum atque ad judicandum. Porro in iis, quae edidit, voluminibus nihil est nisi sanum atque rectum; sed de quibusdam oratoribus Plinianum illud fortasse usurpabis: *nihil peccat, quod nihil peccat*. Debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, efferri, & ad praeceps accedere. Ceterum minime omnia, quae sibi Datius proposuerat (1), perficere po-

(1) Questa raccolta, *ait ipse*, sara divisa in più par-

Digitized by Google

tuit, quod negligentiae minime attribues. In excolendis enim litteris sic animo excubabat, ut partem nullam caperet quietis. Colligebat recondita, quae ad scholam afferret, cumque de aureis Pythagorae versibus dissereret, nihil praetermisisse videtur, quod ad veterem philosophiam, praesertim moralem, pertineret. De Titi Pomponii Attici vita ea dixit, ut mores illius, ut facta, ut sermonem pene expresserit, sic ut iis, qui audiebant, tum geri illa fierique viderentur. Habuere magnam antiquitatis notitiam acroases illae, quae sunt de amphitheatro Romano. Quid multa? Omnis cura illius solebat in hoc versari semper, ut non communia doceret, utque rerum copia, sententiarum varietate, & dicendi elegantia delectaret. His litteris si quid profecisset, exi-

---

ti, ed ogni parte in più volumi. La prima conterrà orazioni, la seconda lettere, la terza discorsi, lezioni, trattati, e dialogi di scienze, d'arti, e di varia letteratura, la quarta cose storiche; la quinta materie scherzose e piacevoli.

Italicis a Malatesta composita ornamentum a praefatione Caroli obtinuere, nec scripsit quidquam, quod elegantia atque eruditione minime condiret. Illa etiam potiora existimabis, quae parabat ad Vaticanam Metallothecam Michaelis Mercati, cujus autographum sibi comparaverat, ad Vitruvium aliosque Latinos scriptores illustrandos; nec minus laudabis studium, quod adhibuit ad vulganda Lotharii fragmenta, & ad inveniendum *Harmonicum Caeleste* Francisci Vietae, cujus occultationem Astronomi deplorare solebant. Ad ceteras occupationes accedebat, quod cum esset a bibliotheca Jo. Caroli, & a studiis Leopoldi Mediceorum, saepe ab iis mandata habebat ad rem litterariam pertinentia (1). Non alienum

---

Bartoli. *De hac re vide Fontaninium & Zenum*, Biblioteca dell' eloquenza Italiana T. I. p. 25.

(1) Sono venticinque anni (*sic ille scribebat an.* MDCLXV.) che frequento l'anticamera del Principe Leopoldo, e in materia di Accademie, di lettere, di stampe di libri, di feste, gli piace

vero, sed suum agere negotium putabat, cum hominibus doctrina claris, qui Florentiam adventabant, officia tribuebat, & absentes litteris humanitatis & eruditionis plenissimis colebat. Longe enim lateque se Datii fama diffuderat, ut nemo non ejus virtutem honoraret, atque amicitiam appeteret. Porro non potuit honorificentius de illo fieri a Ludovico XIV. Galliarum Rege, qui ad se se ipsum invitavit, recusantique patrios lares deserere magnum argenti pondus semel iterumque & tertio ex suo aerario pendi jussit. Invitamenta etiam habuit liberalissima a Christina Svecorum Regina, sed his omnibus patriae caritatem antetulit. Ut vero gratus erga Ludo-

di ricorrere a me. *Ex litteris Michaelis Angeli Riccii, quas nos edidimus (*Lettere inedite Vol. II.*) apparet Datium Leopoldi Principis jussu quaedam exarasse pro defensione systematis Saturnii ab Hugenio editi adversus Honoratum Fabrium, & participem fuisse laudis, quam miram sibi compararunt Academici, ut ajunt,* del Cimento.

Digitized by Google

vicum cognosceretur praeter panegyrin sane nobilissimam, quam de eo habuit vulgavitque Florentiae an. MDCLXIX. ejus laudes celebravit, cum biennio ante eidem nuncupasset vitas quorumdam Graecorum Pictorum, in quibus concinnandis multum sane temporis & laboris consumpsit. Collegit enim quidquid ab antiquis scriptoribus de iis memoriae proditum fuerat, distincte ordinateque disposuit, judicium suum, quod in hujusmodi rebus erat acre & certum, saepe interposuit, atque omnia elegantia & munditia summa orationis condivit. Elatus studio nobilissimorum artificum, veritus est ne longior fuerit in eorum operibus commemorandis, sed elaborandum sibi putavit, ut omnes intelligerent per quas vias illi ad artis, quam profitebantur, absolutionem perfectionemque pervenerunt. Tantum huic operi tribuit Franciscus Junius, ut eo plurimum usus fuerit, cum de pictura veterum scribendum suscepisset. Et perexigua quidem illi pars relicta fuisse videtur in eo, quod pertinet ad declarandas vitas Zeuxis, Parrhasii, Apellis, ac Protogenis, de quibus aut nihil fugit Datium, aut si quid forte fu-

git, non magni momenti fuisse judicabis. Etenim nullum ille, cum aliquid litteris mandabat, genus emendandi praetermittebat. *Ac primum quae exaravi*, scribebat ad amicum Pliniana dicta usurpans, *mecum ipse pertracto, deinde duobus, aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda, notasque eorum, si dubito, cum uno rursus, aut altero pensito, novissime pluribus recito, ac, si quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Cogito quam sit magnum dare aliquid in manus hominum; nec persuadere mihi possum non, & cum multis, & saepe tractandum, quod placere & semper & omnibus cupias*. Quod mihi rectius etiam a Datio dictum videri solet, quia plurimi tum erant Florentiae doctrina praestantes homines, qui mirabiliter & communicando, & monendo, & favendo ad communem utilitatem & gloriam consentiebant, quique non sibi solis se natos putabant, sed patriae, sed suis. An quidquam Datio ipsi magis curae fuit, quam laudes Galileii & Torricellii ab Gallorum invidia vindicare? Edita enim an. MDCLXIII. epistola ad Philaletes sub ficto Timauri Antiatis nomine, omnia ea retulit, certis-

simisque monumentis comprobavit, quae pertinebant ad inventa cycloidis & barometri, quorum inventorum gloriam frustra ii, soliti aliorum laudibus invidere, sibi adrogare elaborarunt. Neque haec ea mente scripsit Datius, ut quae sunt in Gallis invidiosa, etiam invidiosiora faceret. Tantis enim beneficiorum vinculis se illorum Regi obstrictum profitebatur, ut blandiri huic cuperet, sed patriae, praeceptorumque caritas, & veritatis amor vim quodammodo illi attulerunt ad hanc conscribendam epistolam, in qua asperitas contentionis scriptoris ipsius humanitate conditur. Dum vero Datius omni officiorum genere aucupari gratiam Ludovici Regis studebat, ejus nuptias cum Maria Theresia Austriaca, initamque ab eo concordiam cum Hispaniarum Rege versibus Etruscis concelebravit. Quanquam usus fuerit omnium sententiarum gravitate, omniumque verborum ponderibus, ex iis tamen facile conjicies, non sic ad poesim, ut ad oratoriam, factum fuisse Datium; quare si quid carminum afferebat ad illos litteratorum hominum coetus, quos, ut diximus, frequentare solebat, non quaerebat quiduam

Digitized by Google

de iis judicarent, cum poetica tractare illi ludus esset. Sentiebat occurrendum esse saeculi vitiis, sed iis prorsus non se abstinuit (1): nam ut ajebat Plinius: *omnis advertit quod eminet & extat; sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme*, qua in re vel ipsum Homerum peccasse contendit. Atqui verborum gravitate & elegantia & copia suam quamdam expresserat quasi formam figuramque dicendi, & qui omnem aetatem in lectissimis volutandis scriptoribus contriverat, illud assecutus videtur, ut quamvis ad optimi poetae laudem ad-

(1) *Crescimbenius in II. Volumine Commentariorum Italicae Poesis, cum judicium tulisset unius alteriusque Sylvae Datii, ait*, che in questi componimenti ben si riconosce, ch' egli era uomo grande, ma non del tutto libero dal vezzo, che correva tra i Rimatori del Secolo. Contuttociò ad onore debbe ascrivere la volgar Poesia d' esser stata trattata da un così cospicuo Soggetto.

Digitized by Google

adspirare minime potuerit, dulcissimo tamen sono semper compleverit audientium aures. Attigit quoque poesim Latinam, & pauca quaedam ejus Latina carmina satis eleganter scripta relata fuere in Volumen IV. carminum illustrium Poetarum Italorum. Sed, ut aliquando ad illa majora veniamus, quibus se consequi posse sperabat Datius, ut talis videretur, qualem se videri volebat, imitatione Noctium Atticarum *Vigilias Florentinas* conscribendas suscepit, in quibus omne eruditionis & doctrinae genus spargeret. Explicavit ipse, quo se dicebat intendere (1), & quae dispositio

(1) Piacque a me (*sic ipse*) intitolar quest' opera: Veglie Fiorentine, sì perchè in essa si riferiscono e si figurano ragionamenti notturni fatti agli anni addietro in Firenze da Gentiluomini e Letterati per lo più Fiorentini, gran parte di loro Accademici della Crusca, sì anche perchè vi si rammentano persone, fatti e storie di questa città, vi si ponderano autori, scritture e maniere della nostra favella, e vi si de-

rerum, non modo earum, quae ad oblectandos animos sunt inventae, sed & earum, quae recondita in arte multiplicique versantur. Magnitudo & varietas operis, elegantia dictionis, sententiarumque ornamenta magnam moverunt admirationem in iis, quibus unam atque alteram hujusmodi Vigiliarum Datius le-

---

scrivono, e vi s' illustrano cose, luoghi, e costumanze della mia patria. Scelsi oltracciò l' ampiezza di questo nome non circonscritto, nè limitato da stretti termini per collegare insieme con largo modo alcuni componimenti, fatti da me in più occorrenze sopra diverse materie, talmente fra di loro disgiunti, che mal poteano altrimenti ridursi in ordine. Volentieri ad ogni Veglia cambiai suggetto, quasi ponendo in tavola ad ogni servito varie vivande per diversi palati, perchè m' accorsi essere impossibile con un cibo solo soddisfare a molti appetiti. E se non mi è riuscito colla squisitezza porrar diletto, colla varietà mi sono ingegnato di scansar tedio. Non tutte saranno eguali o di pari sostanza. Alcune forse troppo gravi, altre facilmente troppo leggieri ec.

gendam dedit, quare summa erat illarum expectatio, quam ut expleret, nulli sane ipse labori pepercit. Sed non omnia, quae inchoaverat morte impeditus absolvere potuit, & quidquid diligentiae, studii & laboris in hoc opus contulit, misere periisse videtur, cum ad nos nisi tenues illius reliquiae pervenissent. Ex iis tamen intelligi potest, quae vis doctrinae in homine acerrimi ingenii, & quanta cura fuerit patriam historiam illustrandi, civesque suos praeclaris exemplis, sapientissimisque monitis ad gloriosa aggredienda invitandi. At hoc idem maxime praestabat, cum verba faciebat in Academia Furfureorum, cujus Consulatum gessit, & in illa altera Apathistarum, in qua Principi vicarius fuit; neque satis dici potest quantum elaboraverit, ne Florentini sui deciperentur opinionibus hominum leviter eruditorum, qui quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa & quasi discerpta contrectant, & qui tanquam ab animo corpus, sic a sententiis verborum ornatum sejungunt. Quod vero penes eos quodammodo esset bene loquendi principatus, hunc ita conservandum ac retinendum mone-

bat, non secus ac si ex eo Etruriae gloria penderet. Miraberis fortasse hominem, cui non lautum erat patrimonium, qui eloquentia praestabat, qui abundabat philosophia, & qui non poterat esse otiosus, a civilibus negotiis se abstinuisse, quasi negasset versari in republica esse sapientis. Porro minime philosophiae se injuriam facere arbitrabatur, quod in hortulis quiesceret suis, ubi etiam recubans molliter atque delicate se mirabilis utilitatis fructum civibus suis praebere gloriari potuisset. Nam cum ad eum ventitaret omnis flos nobilitatis & juventutis, aderat consilio & patrocinio omnibus iis, qui in artium studiis liberalissimis, doctrinisque versabantur, & nemo vel mediocriter doctus Florentiam adventabat, qui non cuperet se in Datii, quem fama notissimum fecerat remotissimis regionibus, familiaritatem insinuare. Extant quidem Aegidii Menagii, ad quem saepe litteras mittebat (1), Alexandri Mori, Joannis

(1) *Hic viginti & amplius Datii epistolas emisit in libro, quem inscripsit* Mescolanze, *ex quibus apparet fuisse inter eos quasi quamdam societatem communium studiorum.*

Digitized by Google

Miltonii, Thomae Bartolinii, Nicolai Vistenii, Friderici Gronovii, Petri Lambecii, Nicolai Heinsii, ut de ceteris nostrisque sileam, honorificentissima de ipso testimonia, cui dum laudes tribuebant singulares, minime verebantur, ne assentatorie loqui viderentur. Nostrates autem, quibus nihil jucundius erat oratione Datii, sive gravia, sive ludicra tractaret, sic de illo judicare solebant, ut eleganter scribere pene solus videretur. Neque minus in eo efferebant facilitatem atque humanitatem, ceterasque virtutes, quas qui habent, quid in quaque re verum sit perspiciunt, motus animi turbatos cohibent, & iis, quibuscum congregantur, moderate & scienter utuntur. Uxorem duxit Elisabetham Galliam, ex qua binos suscepit liberos, in quibus effigiem & humanitatis & probitatis paternae facile agnovisses. Mortem autem obivit III. Id. Januarii an. MDCLXXVI. cum ageret aetatis annum LVII. tumulatusque fuit in majorum suorum sepulcro, quod extat in claustro Coenobitarum Augustinianorum, cum omnium bonorum lacrymis.

OPERA EDITA

Esequie della Maestà Cristianissima di Luigi XIII. il Giusto, Re di Francia e di Navarra, celebrate in Firenze dall'Altezza Serenissima di Ferdinando II. G. D. di Toscana, e descritte da Carlo Dati: In Firenze nella Stamperìa Granducale *1644.* in 4.

Discorso dell'obbligo di ben parlare la propria lingua. In Firenze per Francesco Onofri *1657.* in 12.

Prose Fiorentine raccolte dallo Smarrito (*hoc nomen erat Datio penes Academicos* della Crusca) Parte Prima contenente Orazioni: in Firenze nella nuova Stamperìa all'insegna della Stella *1661.* in 8. *Quod Datio propositum fuit in conficienda hac collectione, cujus nunc habemus volumina XVII. alii magna ex parte praestiterunt.*

Lettera ai Filaleti di Timauro Anziate della vera Storia della Cicloide, e della famosissima esperienza dell'argento vivo: in Firenze all'insegna della Stella 1663. in 4.

Delle lodi del Commendatore Cassiano del Pozzo, Orazione di Carlo Dati: in Firenze all'insegna della Stella *1664.* in 4. *Locum & illa postea habuit inter Prosas Florentinas Vol. IV. P. I.*

Vite de' Pittori antichi: in Firenze nella Stamperìa della Stella *1667.* in 4. *Hae vitae editae fuerunt iterum an. 1730. Neapoli.*

Digitized by Google

Panegirico alla Maestà Cristianissima di Luigi XIV. Re di Francia e di Navarra: in Firenze all'insegna della Stella 1669. in 4. *Extat & haec oratio inter Prosas Florentinas Vol. II. Par. I*

Frammenti del Capitolare di Lotario Imp. tratti da una carta MS. del Capitano Cosimo della Rena, e inviati al Sig. Emerico Bigot da Carlo Dati: in Firenze all' insegna della Stella 1675. in 12.

La pace Selva epitalamica nelle augustissime nozze delle Maestà Cristianissime Luigi XIV. e Maria Teresa d'Austria: in Firenze nella nuova Stamperìa all'insegna della Stella 1660. in fol.

Dice & Irene Gemelle della Dea Temide. Selva per la nuova concordia delle corone di Francia e di Spagna: in Firenze all' insegna della Stella 1668. in fol.

Delle lodi di Niccolò Arrighetti, orazione. *Extat in Vol. III.* P. I. delle Prose Fiorentine.

Delle lodi di S. Benedetto. *Vol. V. P. I. ejusdem operis.*

Lezioni della Patria di Pittagora; sopra la liberazione del padre e della madre fatta da Anfinomo, ed Anapi di Catania; sopra il simbolo di Pittagora che le Muse si debbono anteporre alle Sirene; sopra il simbolo di Pittagora, che non d' ogni legname dee scolpirsi Mer-

curio; sopra le Zazzere: Tom. III. P. II. Tom. V. P. II. delle Prose Fiorentine.

Cicalate: chi fosse prima la Gallina o l' Uovo; sopra le Fave, ossia sopra il simbolo di Pittagora: Astienti dalle Fave. Tom. I. P. III. delle Prose Firent.

Sull'utilità e diletto, che reca la geometria, Dissert. Sull' invenzione degli occhiali, Veglia: *Edidit haec Jo. Targionius in Vol. II. P. I.* delle notizie degli Aggrandimenti delle Scienze in Toscana.

Lettera sopra gli enimmi: *Praeponitur Sphingi Malatestae*.

Lettere XXII. ad Egidio Menagio: *extant* nelle Mescolanze del Menagio.

Lettere a Marquardo Gudio. *Cum hujus aliorumque ad eum epistolis editae fuerunt Ultrajecti* 1697.

Carmina Latina. *Extant in Vol. IV. Carminum illustrium Poetarum, quae edidit Florentiae Jo. Bottarius. Nemo profecto tam bene meritus est de Carolo Datio quam Franciscus Fontanius, qui eum eleganter laudavit, laudationique adjunxit monumenta plurima, quae Datii ipsius vitam mirum in modum illustrant, quaeque plurimum augent catalogum scriptorum ejusdem tum editorum, tum ineditorum.*

Nicolaus Arrighettius.

Fuit Datio propinquitatis & studiorum vinculis conjunctissimus Nicolaus Arrighettius, qui bonus poeta & orator, philosophus ac mathematicus excellens habitus est. Prodierat ipse ex Galileii schola, & in prima aetate adeo se exercuerat in humanioribus litteris, ut omnes non minus eloquentiam illius, quam virtutem ac diligentiam admirarentur. Natus ille Florentiae nobilissimis parentibus Francisco Arrighettio & Flammetta Ginoria, incidit in felicissima tempora, quibus praemia virtutis, insignia honoris, & laudis monimenta merentibus tam facile concedebantur, ut ii solum inhonorati & inglorii essent, qui in turpi inertia vitam transigerent. Vidit hoc prudenter haud imitandum esse illorum exemplum, qui genus dicendi persequebantur tu-

midum atque inflatum, quique exultantes verborum & sententiarum audacia, nil rectum putabant, nisi quod esset novum & immane. Dantem, Petrarcham, Boccaccium & Casam, ceterosque probatissimos scriptores imitatus Nicolaus, quam proxime ad illos accederet, seu potius exprimeret, scriptis suis patefecit. Pauca omnino vulgavit, multa inedita reliquit, atque in his orationes plures, dissertationes tum sacras, tum profanas, ludicras etiam, omne carminum genus (1), dramata,

---

(1) *Laudat haec Crescimbenius* Commentarj della volgar Poesia. *Salvinus Salvinius* Fasti consolari dell'Accademia Fiorentina *ait*, che tralle sue Poesie giocondissime sono molte ottave in verso sdrucciolo intitolate la Veglia. *Testis vero est Datius eumdem saepe cecinisse* inni e laudi a grandezza di Dio e de'servi di lui, imitando e traducendo talora del gran Lirico di Venosa: *scripsisse quoque* canzonette, ditirambi, tragedie e commedie, *atque inter has omni ex parte perfectam judicatam fuisse illam, quae inscribitur*; la Gratitudine.

tragoedias atque comoedias. Sunt vero in manibus hominum quae dixit de laudibus Cosmi II. ejusque uxoris Magdalenae Austriacae, & Philippi Salviati, quo nullum conjunctiorem habuit Galilejus. Refertae sunt hae orationes & verbis & rebus illustribus, omnesque oratoriae virtutes in illis reperiuntur, quanquam dare aliquid coronae necesse fuerit. Sed Arrighettius, cujus erat acre & certum in omni arte judicium, tam bene noverat sui saeculi vitia, ut ea facile declinaret, & dum grandis erat verbis, & creber sententiis, omnino loquebatur ad rerum dignitatem apte, & quasi decore, & dum suavis videri volebat, non dulce quoddam & decoctum consectabatur dicendi genus, sed solidum, moratum, tenerum, omninoque flexanimum. Erat & in eo suavitas & mollitudo vocis, cum eam torquere pro commodo suo posset, & omnis ille sermo corporis, qui tantum in dicendo potest, eo magis eminebat, quod inesset in illo non fucatus, sed naturalis splendor. Quod autem ii litteratorum virorum coetus, qui Furfureorum & Apathistarum nominabantur, non tam gravibus

seriisque, quam ludicris exercitationibus delectabantur, lusit & Nicolaus modo numeris adstricta, modo soluta oratione, in qua specimen erat humanitatis, salis, suavitatis atque leporis, ut libere, non licenter vagari, ut honestum gaudium virtusque ipsa omnibus illius dictis alligata esse videretur. Imitatus est veterem illum Socratem, qui cum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, minime se indignum putavit dulcem, facetum festivumque sermonem; nec minus de illo, quam de Arrighettio dixeris, quamcumque se in partem dedissent, omnium judicio facile principes extitisse. Saepe etiam Nicolaus, solitus frequentare nobilium hominum asceteria, sermonem in virtute laudanda, & omnibus ad virtutis studium cohortandis consumebat, omninoque mores oratoris justos, integros, religiosos effingebat oratio. Illa & laudantur, quae Carneadeo more disputare solebat aut defensiones accusationesque scriptitans, aut in utramque partem multa disserens, & quod Platonem sic fecit, ut omnibus illum anteponeret, maximeque diligeret, saepe illas orationes in litteratorum hominum conventibus

uſurpabat, quas gravissime & copiosissime ab illo habitas fuisse sciebat. Profecto miraberis haud displicuisse Galileii discipulo illud philosophandi genus, quod omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abducebat a sensibus, ut esset cogitationis ipsius & mentis, sed fortasse suos admonere volebat, si vetera amarent, habere potiora, quae sequerentur, quam quae tradi solebant a peripateticae philosophiae cultoribus. Fuit aliquando tempus, quo Leopoldus Mediceus vel sua sponte, vel cohortationibus Arrighettii de restituenda Platonica Academia, quae tantam gloriam Florentiae, majoribusque suis pepererat, cogitavit; & illum diem, quo Arrighettius in ipsis regiis aedibus, maximaque frequentia hominum orationem dixit ad laudandum atque renovandum hujusmodi institutum, omnium, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderat, clarissimum fuisse affirmavit. Saniori postea consilio rem istam Leopoldus abjecit, ut res ab natura occultatas per experimenta inquireret, in quo tantam consecutus est gloriam, ut nulla futura sit tam immemor posteritas, tam ingratae litterae, quae

tanti Principis memoriam non immortalitatis memoria proſequantur. At non propterea ſibi ipſi defuit Arrighettius, & in iis curis, quas contulit ad convertendos in Italicam linguam Platonis dialogos, magnam voluptatem cepit. Ut ſunt illi mirabiliter ſcripti, ſic Arrighettius omnem ſuam copiam & elegantiam conſumpſit, quo omnes intelligerent, quam varius, quam multiplex, quam numeroſus ſit Etruſcorum ſermo, quam prorſus aptus ad exprimendam & effingendam formam illam dicendi, qua tantopere floruit divinus ille auctor, ut Jovis ipſe, ſi Graece loqui vellet, non alia lingua uſurus judicaretur. Obſtitit mors, ne opus ad umbilicum Nicolaus perduceret, & cum neſcio quis ad Furfureos Academicos partem interpretationis Dialogorum de Republica attuliſſet, illam tanto ſplendore illuſtratam eſſe verborum omnes judicarunt, ut nihil aut auribus, aut mentibus jucundius percipi potuiſſet. Vir ad omnia ſumma natus eodem tempore, quo haec curabat, aderat Galilejo ſuo in omnibus exercitationibus tum geometricis, tum aſtronomicis; ſaepe veniebat ad Academias, donum aliquid afferens

corona dignum; plurimum elaborabat in Etrusco conficiendo lexico; nec parum consiliis suis juvabat pictores, sculptores, architectos, mechanicos, musicos, quarum omnium artium erat intelligens sane existimator. Gessit & rempublicam, cum plures habuisset magistratus, quorum sustinere dignitatem & decus videbatur, multorumque vel honori, vel periculo servivit, vel querelas diremit. Dum vero otii caussa rus secedebat, omnes eas res, in quibus versatur agricultura, diligentissime inquirebat, suosque filios assiduos agricolas esse concupivisset, ne teneri illorum animi malis exemplis, quae sunt in urbibus frequentissima, corrumperentur. Scimus apud majores nostros appellatos fuisse sapientes, qui se agri cultione oblectabant, quique nihil libero homine dignius putabant, quam, urbe relicta, rura peragrare, vel ut soli essent, vel ut cum paucis, quorum mores a suis minime abhorrebant, viverent. Fecit hoc Plato, fecit & Arrighettius, qui ex finibus humanae naturae exterminandos illos putabat, qui se vitiis civitatum & aulae adeo contaminaverant, ut ex simulatione, fraude, fallaciis ac

mendaciis conſtare toti viderentur. Obſonabat ambulando famem, paſcebat oculos contemplatione rerum, quae frugibus, atque baccis terrae foetu profunduntur, exſaturabatque animum meditatione, ſcriptione & lectione librorum, de quibus audiebat. Qui propius hujus vitam, mores, vultum denique, in quo, ut & in univerſo corpore omnes inter ſe partes cum quodam lepore, & dignitate conſentiebant, inſpexiſſet, magnum porro virum & civitatis ſuae decus eumdem dixiſſet; quare minime eſt mirandum ſi ad eum flos nobilitatis & juventutis concurrebat, & in ejus conſuetudine prorſus acquieſcebat. Neque minus bonus habitus eſt paterfamilias. Etenim cum uxore (duxerat enim an. MDCXVII. in matrimonium Conſtantiam Bracciam) nunquam in gratiam rediit, liberos ſancte educavit, & ad praeclaras pro cujuſque ingenio artes inſtruxit, iiſque, praeter amplum patrimonium paterni nominis ac memoriae ſuae, bona ſatis lauta reliquit, & praecepta ad illa conſervanda illo in libro, qui *oeconomicus* inſcribitur, quem dictionis elegantia Xenophonteo parem ponere videtur Salvinus Salvinius. Illum enim

Vin-

Vincentii Vivianii manu totum exscriptum se vidisse testatur apud hujus heredem Jacobum Panzaninium (1). Neque est tacendum hoc etiam in Nicolai virtutibus poni, quod adolescens inter aequales excelluerit saltatione, natatu, hasta, pila, harpasto, omnique fere arte gymnastica. Tali modo cum vitam laudabilissime produxisset ad LIII. usque aetatis annum (in lucem enim venerat III. id. Novembris an. MDLXXXVI.) ex illa, tanquam de domo in domum, migravit an. MDCXXXIX. Kalendis Junii. Vel in extremo morbo Musas, quas in tota vita mirum in modum coluerat, advocavit ad exprimendos sensus suos de malis, atque insidiis, quae nos misere circumstant, quibusque exsuscitari ac commoveri nos decet

---

(1) *Vide* Fasti Consolari dell' Accademia Fiorentina, *cujus & Consulatum gessit Arrighettius in Galileii locum succedens. Mentionem etiam fecit Datius hujus operis in oratione, quam dixit de Arrighettii laudibus, quaeque extat in Vol. III.* delle Prose Fiorentine.

ad mortem sancte oppetendam. Cujus nuncius cum allatus fuisset ad Galilejum a Carolo Datio, ille dixisse fertur: quem amisi amicum, quem patria civem, quem oratorem amisit, quod ornamentum & columen Italicae litterae & Etrusca lingua, & quae ad eas excolendas apud nos institutae sunt Academiae! Haec memoriae prodidit Datius ipse in ea, quam dixit oratione de avunculi carissimi laudibus, in qua hoc praesertim sibi ad probandum sumpsit, Platonis instituta rationemque vitae in se adeo expressisse Arrighettium, perinde ac si ad illum maxime & hujus gloriae hereditas, & factorum imitatio pertinere videretur.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

CLEMENTI SIBILIATO SUO

S. P. D.

Quod mihi nunc in memoriam revocas fidem, quam multis abhinc annis dederam Morgagnio nostro, viro sane omnibus bonis artibus eruditissimo, me Latine explicaturum vitam Jo. Baptistae Felicis Zappii, facis quidem amice. Experiar igitur, quoniam sic placet, quid possim, & si quae litteris mandavero minus respondebunt tanti viri merito, tuam iniquitatem accusabis, facilitatem autem meam laudabis, quod tuo judicio inductus non gravate manum operi admoverim. Nemo quidem Italorum non novit ejus in poesi praestantiam, sed quotquot transmarinas & transalpinas regiones incolunt, quamvis se Italicae linguae perstudio-

Digitized by Google

sos esse dicant, prorsus ignorare videntur quousque ab eo, & aliis bene multis nostratibus lyrica poesis provecta fuerit. Ii porro saepe efferunt divinum ingenium Areostii & Tassii, laudant etiam mollem & pellucentem Metastasii orationem, fateri minime dubitant Italorum ingenia & linguam ad poesim factam esse, sed ridere nos in eo videntur, quod abutamur ad omnia illo epigrammatum genere, quae Sonetti *appellamus, quibus gaudium & dolorem significamus, Deos hominesque laudamus, quibusque personant theatra omnia, Academiae, & non fora modo, sed etiam compita atque trivia. Est profecto quod in tanta copia jure meritoque reprehendas, sed nemo est vel leviter litteris tinctus, qui minime sentiat quid inter bonum & malum poetam intersit, quae laudem, quae contemptum epigrammata mereantur, nec propterea, quia vulgaria sunt, omnia vilia esse judicanda. Glorientur adeo hoc poesis genere Italicae Musae, ut per illud Graecas & ipsas, Latinasque vicisse videantur. Frigida sunt plerunque carmina, quibus veluti floribus contextum*

est totum illud volumen, quod Anthologiam dicimus, minime suavitate & lepore condita mihi esse videntur epigrammata Catulli, nec dubito quin stomachere verborum turpitudinem, & rerum obscoenitatem, quibus undique commaculantur. Neque hoc solum vitium reprehendes in Martiale, quasi lascivam verborum licentiam linguam esse epigrammatum ii putassent, sed etiam duritiem, & ineptias pueriles tum in verbis, tum in sententiis, quare haud irascendum arbitror Andreae Naugerio, qui certo quotannis die Musis dicato, magnum numerum Martialis librorum, quos ad eam rem coacervasset, devovere solebat Vulcano, pessimum, ut illi videbatur, poetam execraturus. Nos quidem Itali prudenter fecimus, lata quodammodo lege, ut epigrammatum scriptor non angustis, sed ipsius naturae finibus facultatem hujus carminum generis comprehenderet, ea tamen conditione, ut quatuordecim versibus totam sententiam suam ita exponeret, ut nihil, nec verbum, nec syllaba redundet, nihil desit, omnia libere, naturaliter, & numerose fluant, unus sit

Digitized by Google

sonus totius orationis, & idem stylus, unum & simplex argumenti genus, quod paullatim robur accipiens ab initio ad extremum teneat auditoris sensum, nusquam relaxet, nisi plane moverit, & ad admirationem, clausula jucunde & apte, non aculeate cadente, quam totius sententiae epilogum dixeris, excitaverit. Porro qui haec praestare potest minime rejiciendus est in gregem poetarum, quin immo summa laude afficiendus, atque hospites & peregrinos nostra in poesi dicemus, qui haec gustare minime queunt, vel ex multis malis, aut mediocribus judicium faciunt de omnibus Italicis epigrammatibus. Nihil sane in hoc genere condidit Zappius, quod non esset omni ex parte perfectum, & quod sine opera multa, sine multa litura id obtineri minime posse intelligebat, ad idem saepe carmen redibat, ut si quid in eo vel minimi vitii deprehendisset, corrigeret, nec patiebatur illud in lucem prodire, nisi se probasset iis, quorum certissimum erat judicium. Praesertim vero excelluisse mihi videtur in epigrammatibus pastoritiis, quae ita venusta sunt, ita mol-

Digitized by Google

lia, ita festiva, ut quo minus artis appare- re in iis voluit, eo magis appareat intel- ligentibus harum rerum existimatoribus. Mi- ror equidem nonnullos apud vos extare, qui- bus plane non placent Zappii epigramma- ta, fortasse quia minime exprimant illam formam, quam tantopere in Petrarcha su- spicimus. Profuit quidem poesi Petrarchae imitatio, nocuit etiam, quod quidquid servi- le est non cohibeat modo, sed pene extin- guat ingenii motus, sine quibus nulla esset poesis. Haec, non secus ac pictura, varie- tate gaudet, & tot mihi videntur esse sty- li genera, quot sunt colorum, lineamentorum atque formarum. Etsi laudentur Zeuxis, Polygnotus, Timans, omnesque ii, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, in Aetione tamen, Nicomacho, Protogene, Apelle non dubitabis, teste Cicerone, dicere perfecta fuisse omnia, idcirco quia ad supe- riorum elegantiam multa alia adjunxerunt ornamenta pingendi, inter quae licet com- munione quadam nonnulla similia videri possint, specie tamen & arte pro cujusque artificis ingenio ita differunt, ut in plura

genera, quasi membra quaedam, dispertiantur. Primas sane tenent, ut ad nostros quoque veniamus, Bonarrotius, Sanctius, Allegrius, Veccellius, sed quam dissimiles inter se, quamvis una sit ars, ratioque picturae! Tot pene numeraveris pingendi modos atque artificia, quot illa adhibuerunt, qui quamvis habeant res complures dissimiles inter se, consimili tamen laude dignantur. Eadem ratio est in poesi, & quia fuit aliquando tempus, quo Poetae fere omnes ad unum Petrarcham, tanquam ad saxum adhaerescentes, minime audebant ornare carmina quasi colore quodam & succo proprio (ars enim a natura profecta, nisi natura moveat, ac delectet, nihil sane egisse videtur) quae scripserunt, non satis digna, imitationis diligentis nimium fastidio, quae iterum legantur facile judicabis. Quia vero, ut diximus, cum in omni genere, tum in hoc ipso magna est vis naturae, illum beatum putabimus, cui contigit iisdem fere uti posse ornamentis tum ad magniloquentiam, tum ad suavitatem. Nonne tibi videtur Zappii epigramma de Moyse a Bo-

Digitized by Google

narrotio sculpto imitari artificis granditatem ? Idem plurima alia habet hujusmodi, in quibus dignitatem virilem, alia, in quibus venustatem muliebrem admiraberis : erat enim omnino poeta varius, lucidus, ingeniosus, floridus, gravis, moratus, elegans, & dignus, cujus memoria immortalitati commendaretur. Quare nos minime industriae nostrae poenitebit, quod in illius vita Latine declaranda operam posuerimus, quae si tibi probabitur, amicorum optime & eruditissime, omnibus se fore probatam sperare debet. Ama nos, & vale.

Ex Meletiano Id. Octobris MDCCLXXXXIV.

Digitized by Google

Jo. Baptista Felix Zappius.

Jo. Baptista Felix Zappius natus est in Foro Cornelii xv. Kal. Apriles an. MDCLXVII. ea familia, quae cum nobilitate inter suos praestaret, in civitatem etiam Romanam centum ante hos annos adscripta fuerat. Parentes illi fuerunt Evangelista Zappius, & Maria Magdalena Borellia, qui, quod pueruIo contigerat omnibus aequalibus suis ingenii gloria antecellere, juris prudentiae, quaestuosissimae omnium arti colendae, in qua excelluerant majores ejus Ludovicus & Joannes Baptista (1) ipsum destinarunt. Ea propter, cum

(1) *Illius laudes celebravit Marcus Antonius Fla-*

vix complesset XIII. aetatis annum Bononiam miserunt, & in eo Collegio, quod a patria conditoris Montaltum appellatur, habuit praeceptorem humaniorum litterarum Camillum Etorrium Jesuitam, civemque suum, philosophiae Fulvium Magnanium & Laelium Triumphettium, utriusque juris Alexandrum Guidottium. Accepit vero doctrinae insignia ab Uliysse Josepho Gozzadinio, qui postea Cardinalis creatus est, & fuit hoc non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut eam benevolentiam & voluntatem amplissimi viri, quam sibi adolescens conciliaverat, dum in vita fuit, singulariter retinuerit. Quod a parentibus, aliisque sanctis hominibus, cum quibus versari consueverat, saepe audierat, munditias levitatesque mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum esse, quantum condiscipulis suis con-

---

minius epigrammatum lib. III. *hujus autem Marius Crescimbenius* Vol. II. par. II. lib. IV. commentar. Poesis

cedebatur temporis vel ad oblectationem, vel ad requiem animi & corporis, tantum sibimet sumebat ad sua studia recolenda, & quamvis toto animo ferretur in ea, quae humanitatis, & litterarum dicuntur, nunquam tamen juris prudentiam neglexit. Tali modo instructus rediit in patriam, & licet magna de eo esset expectatio, expectationem tamen ipsius adventus admiratioque superavit. Neque hoc tacendum videtur, quanquam nonnullis leve videbitur, non contempsisse Zappium artes illas, quae sunt nobilium adolescentium propriae, & saltasse eum commode, quod ad venustatem in gestu omnique motu corporis obtinendam plurimum illi profuit. Sed par erat tantum ingenium in nobilissimo orbis terrae theatro, ad quod vel a pueritia respexit, versari. Romam itaque an. MDCLXXXVII. concessit, habitavitque apud Vainium Marchionem, a quo laetissimo animo acceptus fuit & propter propinquitatem & propter ingenii famam. Is impigre prudenterque cognoscere artes nobiliorum jurisconsultorum, explorare reconditiores juris fontes, videre quae viae expeditissimae essent ad gloriam, dein postquam tempus visum

Digitized by Google

se quoque jurisconsultum professus est. Illius cives multis gravissimisque in negotiis ejusdem opera sane fidelissima usi sunt, & quod erat facundus, ingenio promptus, quaestus haud cupidus, amicitia facilis, & solertissimus ad captandas judicum voluntates, multi eum sibi adoptarunt patronum. Erant tum, qui genus scribendi elegans minus ad patrocinia aptum existimarent, sed Zappius, qui munditiam orationis ab doctrina nunquam segregandam, & quod eloqui copiose, modo prudenter, melius esse, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare semper judicaverat, injuriam Romanae juris prudentiae se facere putasset, si eam verborum dote, ceterisque ornamentis, quibus ejusdem conditores nobilitarunt, spoliasset. Ea propter non solum ad usum forensem, sed etiam ad decus atque oblectamentum vitae sic coluit humaniores litteras, ut per eas ad summam gloriam pervenerit. Quod si haec neque attingere, neque gustare poterant ii, in quibus summa erat rerum potestas, tamen ea mirari debebant, cum in Zappio viderent, neque ei denegare praemia illa, quae barbaris jurisconsultis saepe conce-

debant. Sed haec ipsa doctrina, quemadmodum memoriae prodidit Crescimbenius (1), quae profuit ad laudem, obstitit fortunae illius, quasi ii, qui Dei dono atque munere singulari commendati esse videbantur, quique animum & mentem conformaverant cogitatione hominum excellentium, minime idonei essent ad Rempublicam administrandam. Dum recordor illa lumina atque ornamenta Purpuratorum Collegii, Bembum, Sadoletum, Sirletum, Antonianum, aliosque bene multos, qui amplissimos honores una commendatione litterarum humaniorum consecuti sunt, vix ferre possum hujus saeculi insulsitatem, quod contemptis optimis, liberalissimisque artibus, eos summo loco dignos putat, qui in judiciis cauti & acuti leguleii versati sunt, quique inculta ac sylvestri via circumforaneorum plausus captarunt. Plus certe litterarum secum attulit Romam Zappius, quamvis esset in prima juventa, quam tum erat penes eos,

---

(1) Notizie degli Arcadi Defunti Tom. I. p. 131.

qui laeti & erecti passim vagabantur toto foro, & quod natura eum ad poesim formaverat, huic sic indulsit, ut illum insuavem diem putasset, quo rationem cum Musis minime habuisset. *Moleste ferrem*, scribebat ad Etorrium suum, *si ego in tenebris laterem, nec audirentur Romae, quae a te de optimo genere dicendi accepi praecepta*. Itaque cum frequentare coepisset illos litteratorum hominum coetus, qui *Infecundi* & *Itrecciati* appellabantur, aliquid semper ex se promebat, quod alios delectaret, &, adhibita disserendi elegantia, interdum etiam philosophabatur. Qui tum litteras colebant, perversa institutione orationem, quae turgeret, & inflata esset, sectabantur, & dum magna quaerebant, in levissima incurrebant, qua de re cum saepe quereretur Zappius cum Mario Crescimbenio, aliisque paucis cordatis viris, iis se fore adjutorem spopondit ad condendam illam Academiam, quae quod imitari debebat simplicitatem Arcadiae pastorum, ab iis nomen sumpsit. Huic profecto laus debetur, quod errantes homines in viam deduxerit, & quod Urbs nobilissimis poetis, liberalissimisque stu-

quemcumque res habitura fuisset exitum, ei debebatur gloria, quod se gesserit fortiter, prudenter, & cum dignitate. Dolendum vero ei fuit, quod vel nomen extinctum fuerit Aquilejensis Patriarchatus, quodque civitas quodam tempore florentissima, & nona inter claras universi orbis urbes, ut eam appellàvit Ausonius, tot fortunae vices passa fuerit, ut nunc prostrata & diruta, veluti cadaver quoddam projectum jaceat. Haud temere dixerim extremum illius ornamentum fuisse Florium, qui dum divinis rebus illo in loco operabatur, veluti lumen quoddam sanctitatis eluxit, & dum studiis obsequebatur suis, nunquam mentem deposuit colligendi omnes reliquias antiquitatis, quae veluti ex naufragio calamitosissimo superfuere ad praeteritarum rerum memoriam conservandam. Atque utinam tanti viri imaginem ad vivum expressam in hoc commentariolo intueri possis, quam cum tu quoque pinxisses coloribus & penicillo tuo, ex te ipso sumere potuisti virtutum speciem & formam, quas in ipso laudasti, & ad imitandas proposuisti. Vale

Pisis Kal. Maii MDCCXCV.

Digitized by Google

re se esse imberbem & rudem pastorem Arcadiae, quidquid pro sua defensione deprompsit vel ex legum codice, vel ex philosophorum libris, vel ex veterum scriptis, id totum se habuisse ait a peritissimis viris, quos nominat & celebrat, quosque florem Arcadiae dixisses. Non minus rei novitas, quam electio sententiarum, & distributio, atque elegantia ornatusque orationis admirationem audientium movit, & quod tum omnium primus morem declamandi in Arcadiam invexerit Zappius, hoc etiam nomine plurimum laudatus fuit a Crescimbenio. Neque multo post cum gratulandum esset & Innocentio XII. quod e periculoso morbo evasisset, & ipsi urbi Romae, quod salva esset tanto incolume Pontifice, Zappius onus in se recepit exarandae orationis, quae hujus gloriosa facta commemoraret, describeretque totam regionem Arcadiae ac mores, instituta, leges & studia Pastorum, qui illam incolebant. Mortuo autem eodem illo Pontifice, cum in ejus locum successisset Clemens XI. Arcades omnes, & Zappius praesertim, qui, ut primum Romam venit, in ejus se insinuaverat

deret, vias adolescentiae lubricas, quas perpauci sine casu aliquo, aut prolapsione ingrediuntur, ita praetergressus est, ut condiscipulis suis, quos habuit & Barnabitarum & patrii Seminarii scholas frequentans, esset sanctioris disciplinae & industriae exemplum. Tali modo humaniorum litterarum, & philosophiae, qua in facultate publice theses defendit, & theologiae dogmaticae expleto curriculo ad Patavinam Academiam accessit, ubi graecis litteris, duce Dominico Lazzerinio, & utriusque juris prudentiae, ac praesertim pontificiae diligentissimam per quadriennium operam dedit. Nullus erat in illo Lyceo doctrinae fama illustris homo (& plurimi quidem tum erant) quem non frequentaret Florius, in quo nec expleri nec satiari posse sitis videbatur proficiendi in omni fere litterarum atque in primis divinarum genere. Se enim devoverat Ecclesiae, & in Aquilejensi an. MDCCXXX. cum presbyter jam esset, factus est Canonicus, ut vocant, Theologus. Sedebat tum ad ipsius Ecclesiae gubernacula Dionysius Delphinius, qui quasi nascenti laudi Florii praepositus esset, tantum huic in-

dulgebat, ut neminem pluris facere & plus amare videretur. Itaque nulla res gravior fuit, in qua illum minime adhibuerit. Gratus vero Florius in patronum suum beneficentissimum, ei semper studium & fidem singularem tribuit, & ut leniret acerbissimum luctum, quem ex morte illius percepit, de ejusdem laudibus commentarium scripsit. Fuerat idem, suasore Florio, institutor cujusdam Academiae, cui unice proposita esset rerum sacrarum illustratio, in qua saepe exaudita est erudita Florii ipsius vox, postquam illius fores, ut ita dicam, aperuerat dissertatione, quae pietatem unice redolebat, de Virgine sine labe concepta. Cetera cura & vigiliis elaborata fuere, & ex iis extiterunt nonnulla, quae ad hominum manus pervenere. Nam ut virtutis, sic doctrinae a Florio exempla repetenda esse omnes censebant. Cum aliquid explicandum suscipiebat omnes latebras eruditionis, quae ad illud quomodocumque pertinebant, peragrabat, sicque efficiebat, ut quae prima specie non magni momenti esse videbantur, ipso docente pondus acciperent. Atque ut unam rem exempli caus-

sa ponamus, cum ei dicendum esset de sepulcro quodam, quod est Florentiae in S. Crucis Aede, & in quo humatum fuit cadaver Gastonis Turriani Aquilejensis Patriarchae, nobilissimae familiae originem & facta illustria contexuit, narravit omnia, quae sciri potuerunt de eodem Patriarcha, & rationem reddidit omnium Symbolorum (sunt haec multa & varia) quae ornant istud monumentum, quod positum fuit saeculo XIV. Misit haec ad Antonium Franciscum Gorium omnis antiquitatis studiosissimum virum, qui ea edidit in Vol. II. Dissertationum Societatis, ut vocant, Columbariae, cuique Socium Dotati nomine Florium adscribendum curavit. Porro hic nil potius habebat, quam Aquilejenses antiquitates illustrare, neque gloriae admodum cupidus (erat enim singulari modestia) quae infinito labore colligebat, libentissime suppeditabat Bertelio Canonico, & Bernardino de Rubeis, qui toti erant in hujus Ecclesiae monumentis atque Historia declaranda. Atque inter hos viros tanta conjunctio fuit, ut judicari possit plus in amicitia valere similitudinem morum atque studiorum, quam affi-

nitatem. Utebatur etiam intime Florius Hyacintho Serry, qui iis temporibus principatum in Theologia tenere putabatur, & per eum hujus disciplinae insignia accepit, cujus rei caussa an. MDCCXXXII. rediit Patavium, cum antea utriusque juris laurea in illius urbis Lyceo decoratus fuisset. Atque hoc tempore se totum divinas in litteras abdiderat, cum deponeret nunquam e manibus SS. Patrum tum Graecorum, tum latinorum scripta. Inter haec exaravit Dissertationem adversus Missorium, quam inscripsit: *Eusebii Pamphili de Haereticorum Baptismo Historia vindicata*. Nam Franciscanus ille contendebat minime convenire sanctitati tum Cypriani, tum Firmilliani, quae de Haereticorum Baptismo renovando eos scripsisse affirmabant Bollandistae, quasi ab his nimium porro, ut ipse ajebat, tribuentibus Eusebii testimonio, tota haec res conficta fuisset. Videre poteris in illius adversariis quam acer & diligens esset judex earum rerum, quae a veteribus fuere litteris consignatae, & si quid vitii in eorum scripta irrepserat sagaciter notabat, & quoquomodo poterat, emendabat. Magna intelligimus sae-

pe ex parvis, & maximo argumento tibi esse poterunt quanta vis esset eruditionis, & recti judicii in Florio breves animadversiones, quas inter legendum facere consueverat in sacros scriptores. Totam etiam Fleury Ecclesiasticam Historiam, & Dupinii Bibliothecam coarctavit, & epitomarum fautor eximius auctor fuit Ludovico Muratorio, ut Dissertationes suas Medii aevi compendifaceret. Neque minus ille ad agendum, quam ad intelligendum natus plures Ecclesiae, cui inserviebat, nomine legationes obivit. Ac primum an. MDCCXXXIV. Vindobonam cum Daniele fratre accessit conquerendi caussa cum Caesare de illius Vicariis tum Imperiali, ut vocabant, tum Archiducali, qui in Conciliis Canonicorum Aquilejensium locum, & quod majus erat, jus ferendorum suffragiorum se habere debere contendebant. Hac re confecta Romam migravit, ibique mandata plura executus est, quae a Daniele Delphinio Patriarcha, qui in locum patrui suffectus fuit, acceperat. Rediit duodecim post annos ad illam Urbem, sed tum patriae negotium egit, quam creandorum caussa Equitum a ceteris Italiae nobi-

lissimis urbibus excludere Melitensis militiae Praefecti contendebant. Erat tum apud Pontificem Venetorum Legatus Franciscus Foscarus, cui in primis commissa cura fuerat transigendi controversiam, quae diu erat inter Rempublicam & Caesarem Aquilejensis Patriarchatus caussa. Non satis dici potest, quantum hic tribuerit consiliis Florii, qui sane & voce & scriptis nihil non egit, ut omnium nobilissimae Ecclesiae dignitas & jura sarta & tecta essent. Cum vero Pontificis sententia pronunciata fuisset de creando Apostolico Vicario, & ea demum controversia ita dijudicata fuisset, ut nulli amplius essent Patriarchae, cum tota Dioecesis binas in partes divisa fuisset, quarum altera Utinensi, altera Goritiano obtigit Archiepiscopis, sic doluit Florius vicem Ecclesiae suae, pro qua tot susceperat labores, ut nullo alio solatio levari posset, quam caussas defendens eorum, qui in illius jura successisse videbantur. Scripsit itaque *de jurisdictione ordinaria, quam exercuerant Patriarchae vel a saeculo IX. in Capitulum & Monasterium Veronense S. Mariae in Organo*, patrocinium

suscepit Monialium Benedictinarum, quarum coenobium est extra moenia Aquilejae, quaeque minime tulissent suis se orbari immunitatibus, Beltrandi Patriarchae scriptis, laboriosis sane, sanctitatem probavit, ut illi suus cultus a Romano Pontifice redderetur (1), & multa alia praeclara & scripsit & gessit, ut morem gereret voluntati suorum Antistitum, qui ejus virtuti, prudentiae ac fidei in primis confidebant. Nec suis modo, sed & a-

---

(1) Cum scriberet summus Pontifex *Benedictus XIV. ad Danielem Delphinium Cardinalem & Patriarcham Aquilejensem hoc de Florii opere judicium tulit*: Tempo fa per le mani del Co Carlo Camuccio ricevemmo una di lei lettera in data de' 15. Febbrajo (*1755*) e dallo stesso ci fu anche presentata la bella fatica compilata e composta dal Co. Francesco Florio Primicerio di codesta metropolitana di Udine sopra il culto del B. Beltrando Patriarca d' Aquileja. L' abbiamo letta volentieri, abbiamo ammirata l' erudizione, della quale non meno noi, che il mondo letterario avevano avute tant' altre riprove.

lienigenis operam suam tribuit, defensione suscepta Privilegiorum & Immunitatum Capituli Veronensis, cum adversarios in hac controversia haberet Ballearinios fratres, quibus suspecta erant monumenta, quibus tota haec caussa innitebatur. Et tum quidem Ratherii Episcopi Veronensis vitam sic declaravit, ut nihil illa fieri diligentius, nihil eruditius ipsi Ballearinii judicaverint (1). Illa etiam potiora existimabis, quae de Bachiario Monacho

---

(1) *Ita illi in Praefatione ad Ratherii opera p. 16.* Diligentiorem hac in re operam novissime posuit Comes Franciscus Florius Primicerius Archiep. Ecclesiae Utinensis. Duae nimirum Dissertationes ejus italica lingua exaratae typis impressae fuerunt Romae *1754.* in quarum altera Ratherii vitam fusius & in chronologicam seriem digessit, cui idcirco praefixit titulum *Saggio della vita di Raterio Vescovo di Verona*. Ubique elucet ampla Scriptoris eruditio, ingenii acumen, sanioris critices usus in intelligendis & evolvendis rebus obscurissimis.

antea exaraverat. Bina ad nos pervenerant illius scripta *de Fide* alterum, & *de Reparatione lapsi* alterum, sed incerta erat scriptoris aetas, patria, conditio. Rem hanc erudite adeo & eleganter tractavit Florius, ut Muratorius, qui de Bachiario nonnulla tetigerat in II. Anecdotorum volumine gratulans illi affirmare minime dubitaverit per eum omni ornamento vestitum fuisse, quem pene nudum ipse reliquerat. Florius non modo ad optimorum Codicum fidem exegit Bachiarii scripta, & illustravit, sed certissimis argumentis probavit fuisse illum in Hispania natum, monasticam vitam minime deseruisse, in divinis libris interpretandis & in Ecclesiae disciplina dogmatibusque exponendis nunquam a recta via declinasse, & iis temporibus floruisse, quibus in Hispaniarum regno misere grassabatur Priscillianorum haeresis, de cujus erroribus multis verbis disserit. Quae dum probat necesse fuit confutare secus existimantium sententias; & dum suis ponderibus examinat, quae vere sint scripta Bachiarii, quae falso illi tributa a Possevinio, Dupinio, Bulaeo, ei reddidit Objurgationem quamdam in

Evagrium, quam nonnulli S. Hieronymo, alii S. Paulino dandam esse contendebant. Tota enim haec objurgatio composita est verbis, a quibus Bachiarius incipit epistolam suam ad Januarium *de Reparatione lapsi*. Antequam haec Bachiarii scripta Romae an. MDCCXLVIII. evulgaret, dissertationem de iis emiserat in volumine XXVII. Collectionis Calogerianae, ex qua judicari potuit quantum studii, & diligentiae in hanc rem contulisset. Nec sane quidquam tractandum suscipiebat, quin omni ex parte consideraret, & omnia illa colligeret, quae illud propinqua cognatione attingerent. Quod cum non mediocris esset laboris, saepe exauditus est queri sua propemodum studia deseruisse post annum MDCCXXXXVIII., quia ex hoc tempore publica munera & mandata numquam illum conquiescere siverunt. Sed quamvis occupatus esset, otii tamen satis habuit, quo ea pene absolveret, quae diu multumque in manibus de Ruffino Aquilejensi habuerat. Convincere omnes volebat hunc in interpretanda Eusebii Caesariensis Ecclesiastica Historia tum interpretis tum catholici partes optime egisse, & haec erat summa conclusionis illius.

I. *Ruffinus consulto nonnulla dempsit, & commutavit, quae Nicaenae Synodo adversari videntur*. II. *Graecum Codicem, quem Ruffinus adhibuit, alicubi mutilum & interpolatum fuisse pluribus exemplis suaderi potest*. III. *Varietates nonnullae evanescerent, si Ruffini latinum Codicem mendis omnibus expurgatum haberemus*. IV. *Ruffinus aliquando erravit, aliquando felicius, quam reliqui interpretes, Eusebii mentem assecutus est*. V. *Plura contraxit brevitatis causa, quae in Graeco Eusebii textu sua etiam aetate legebantur*. His explicatis rebus quilibet per se facile judicare potuisset, quanti faciendus esset Ruffinus, & quantum per eum ornamenti & decoris accessisset Aquilejensi Ecclesiae. Ad quam saepe cum rediret Florius aut hominum sanctitate illustrium vitas explicabat, & ad Cromatium & Paulinum Patriarchas praesertim respexisse videtur, aut declarabat, quot rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus ille Patriarchatus fuisset, aut vices illius sane luctuosas exponebat, quibus de rebus multa etiam tetigit in Praefatione ad Beltrandi vitam, in qua contexen-

da feliciter declinavit ea, quae nocitura, aut controversias paritura videbantur (1). Nihil enim unquam aut egit, aut scripsit, quod non singularis moderaretur prudentia. Fraenos linguae tum solum laxabat, quando exagitabat impios homines, qui ad omnia abutebantur philosophiae licentia: *hos enim nisi arguimus*, solebat dicere, *omnis religio*, *omnis virtus*, *omne decus*, *omnis vera laus deserenda est*. In throno Satanae eos sedere ajebat, S. Ioannis

---

(1) *Sic ille ad Bertelium amicissimum suum scripsit litteris datis XIII. Kal. Febr. an. 1759.* Mi son posto a copiare la vita (del B. Beltrando) che ho condotto fino agli ultimi anni più scabrosi, perchè si tratta di cose assai delicate, e vorrei, se mi riesce, osservare non solo quella legge ch' è imposta ad uno Istorico *ne quid falsi audeat*, ma anche quella, *ne quid veri non audeat*. La cosa non è così facile; se Dio mi darà forza ne uscirò, non già con onore, ma senza offendere alcuno, che questo mi preme.

verba usurpans, de quibus Dissertationem exaraverat, ut probaret referri illa ad Aesculapii templum celeberrimum, quod Pergami erat. Sui quoque officii esse ducebat minime adulari civitatum rectoribus, qui in laedendis Ecclesiarum juribus se aliquam consecuturos sperabant commoditatem. Quo facilius vero in hac cupiditate continerentur, scripto exposuit quot utilitates sibi polliceri poterant ab iis, qui sic militabant Ecclesiae, ut nullum officium tam sanctum, & tam solemne esse putarent, quam fidem & operam Patriae, & Principi praestare (1). Dedit quidem Flo-

---

(1) *De se quidem haec professus est cum anonymam epistolam* delle mani morte *vulgasset an.* 1766 Io amo l' ordine della sacra milizia, a cui sono ascritto, e trovo nella mia vocazione i motivi e allettamenti per vivere fedele al mio Principe assai più forti di quelli, che mi somministra l' umana filosofia. Non entri l' anima mia, dirò quasi colle parole stesse di S. Bernardo, nel consiglio di cert' uni, che non sanno difendere i privilegj e i diritti delle chiese senza violare i diritti della Sovranità.

rius, dum vixit, hujus studii praeclarissima exempla, maximum existimans quaestum se pium gratumque cognosci, simulque aperire se nihil temporis caussa facere, & nihil potius habere, quam Deo & hominibus servire. Ea propter minime recusavit tertio Romam accedere, ut in Consiliis adesset Venetorum legato ad sedandas controversias, quas habebant cum Romano Pontifice, quaeque felicissime compositae fuerunt ineunte Pontificatum Maximum Clemente XIII.; curam suscepit Dioecesis Hieronymi Gradonici, & Sagredi Archiepiscoporum Utinensium Vicarius, quo in munere per totos XVII. ferme annos perseveravit; multa demum Venetias itinera fecit, ut coram Senatu suae Ecclesiae jura defenderet. Et ipsa opinio, quam omnes habebant de doctrina & integritate Florii, facile illi conciliabat judicum animos, sic ut raro susceptae rei illum poenituerit. In quibus laboribus nullum aliud praemium accipere voluit, nisi quod a suis dari poterat (fuit enim, ut vocant, Primicerius, & Praepositus) quibus contentus honoribus constantissime oblatum sibi a Romano Pontifice Hadrianensem

& Rhodiginum Episcopatum tum dignitate, tum redditibus haud Venetorum extremum recusavit. Omnino in sinu & complexu suorum vivere volebat; adeo vero amans fratrum, ut sine his vitam insuavem duceret. Porro ad humanitatis sensum illum formaverat natura, quae etiam in vultu, oculis omnique sermone apparebat, quare minime est mirandum si multos amaret, & a multis redamaretur. Hoc quoque sit Florii bonitatis exemplum, quod cum iis, quos in ludo condiscipulos habuit, quosque ingenium & virtus commendabat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem eorum amicitia creverit: e quibus honoris caussa nominare lubet Franciscum Tartaniam, Alphonsum, & Jacobum Belgrados, Franciscum Berettam Comites Josephum Bertolium, & Franciscum Trentum. Erat illi cum hoc magna similitudo morum studiorumque, & officiorum conjunctio, & quae de illius laudibus litteris mandavit satis declarant, quatenus amor in amicitiis progredi possit, & quanta vis sit virtutis ad illas conglutinandas. Multa alia sunt elogia mortuorum, quae ipse etrusca oratione satis or-

ornata & perpolita scripsit, aequissimus sane meritorum omnisque virtutis aestimator & judex. Quae dum non in amoris, sed in veri testimonii ac judicii loco poni volebat, tantis verborum ponderibus utebatur, ut nil magis vereri videretur, ne assentatorie loqui judicaretur. Minime autem opus est pluribus verbis commemorare, quam paterne foverit omnes eos, qui Ecclesiae divinisque litteris se se dabant, salutaribus monitis erudierit, rectamque iis viam monstraverit, quam facile cum ceteris communicaverit, quae sibi vel a prima adolescentia comparaverat subsidia industriae, & instrumenta virtutis (1), quam liberalis fuerit erga omnes, qui opis suae indigebant, et quam diligens in obeundis omnibus religiosissimi hominis officiis. Dixisses eum patriae suae decus & lumen, ne-

(1) *Infinitus essem si exscribere vellem testimonia clarorum virorum, qui ab eo se accepisse grate professi sunt subsidia ad exornanda, quae ediderunt, opera.*

Digitized by Google

que aetas mores in illo immutavit. Quare in suis studiis, sicut in reliqua vita, libentissime conquiescebat, cum de se vere potuisset affirmare, ea se vehementer & semper secutum, ex quibus vera gloria nasci posset, ipsam vero gloriam per se nunquam putasse expetendam: nam hominum commodis utilitatique praesertim servire volebat. Cum perturbaretur ineptissimis dictis Voltairii, quibus uti solebat ad deridenda, &, si fieri potuisset, convellenda sanctiora Ecclesiae monumenta, adversus eum defendendam suscepit auctoritatem Epistolae, quae testimonium dat gravissimum martyribus Lugdunensibus, quamque Eusebius suam in historiam retulit. Neque hac defensione contentus, quam omni eruditionis genere ornavit, Gallici scriptoris impios conatus retudit, qui Arianis & Socinianis favens illam Paulli Apostoli de Christo Jesu sententiam infirmare studuit; *non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo.* Demum interpretatus est, vel potius emendavit S. Justini locum, in quo de Angelorum cultu agitur, cujus caussa veteres Christiani impietatis a quibusdam insimulati fuere. At-

que has Dissertationes Bononiae edidit an. MDCCLXXIX qua in urbe decennio post vulgavit etiam Dissertationes *de* S. *Gregorio Illiberitano libelli de Fide Auctore*, nec non *de* S. *Hilario & Hieronymo Origenis interpretibus*. Variae erant opiniones, atque inter se dissidentes de illius libelli auctore, quem fuisse Gregorium Beticum Illiberitanum Episcopum multis firmissimisque argumentis probat Florius. De Ruffino vero suo haud pauca tetigit cum de interpretibus illis Origenis egit, & hic sane erat opportunus disserendi locus, quod Vallarsius Ruffino ipsi tribuendam esse contendebat interpretationem Homiliarum IX. Origenis in Isaiam, idcirco quia ab Hieronymi elegantia aliena illi esse videbatur. Rediit etiam postea Florius ad Ruffinum, cum opus contexuisset, *de quodam Hegesippi fragmento, & de nonnullis* SS. *Patrum locis mendosè hactenus editis, & nunc primum emendatis*, quod opus anno postquam obierat, Bononiae typis impressum est. Porro hoc Hegesippi testimonio, aliisque argumentis ex antiquitate depromptis conficere se pos-

se putavit, quidquid contra affirmaverit Eusebius, hac in re a Ruffino emendatus, Hebraeorum sectas, unis Sadducaeis exceptis, corpora humana resurrectura credidisse. Cetera, quae liber continet, judicium acre & certum Florii in perspiciendo quid in quaque re verum esset abunde comprobant. Multa is & paraverat adversus Gallicum scriptorem quemdam, qui non solum indocte, sed etiam impie examinandum susceperat opus, quod inscribitur, *Naturae Systema*; sed haec minime vulgavit. Admonebat vero in omni sermone clericos suos, quam cavere deberent a perversa sapientia hujusmodi philosophorum, per quos non catholicae Religioni modo, sed & Regibus cum summo gentis humanae dedecore miserrimam pestem importari dicebat. Denique quae ad Beltrandi vitam praefatus est historiam contexens Patriarchatus Aquilejensis, & quae, ut artifex callidus, tribuit praeconia memoriae Danielis fratris poetae sane nobilissimi, & secum consiliorum omnium, studiorumque societate conjunctissimi (etenim minime expers esse

voluit poeticae (1) suavitatis) fuerunt veluti cygneae voces illius. Jamdiu enim coeperat multis & magnis valetudinis incommodis conflictari, quae secum afferre solet senectus, quaeque auxere itinera, & immensi, quos in studiis adhibere consueverat, labores. Sed nunquam eum deseruit mentis acies, & animi constantia & tranquillitas, quam retinuit ad vitae usque exitum. Hanc amisit postrid. id. Martii an. MDCCXCI. atque extitit nemo, qui ejus funus lacrymis non decoraret. Est in manibus hominum oratio, quam de ejus laudibus dixit Petrus Braida Canonicus, in qua

(1) *Vir incorrupti judicii Apostolus Zenus, qui Florium appellabat* uno de' più dotti gentiluomini d'Italia, *laudavit sacra quaedam ipsius carmina, in quibus inesse dicebat* uno stile mantenuto e massiccio, e bene imitato dai divini esemplari. *Granditatis amans totum fere Dantem memoriter tenebat. Latinas etiam musas amavit & coluit, & in Arcadum coetum cooptatus Poliandri Ecalii nomine de eo bene mereri semper studuit.*

licet intueri imaginem hominis, qui perfectae virtutis perfecto functus est munere, ut non multum, aut nihil omnino concederet summis illis viris, qui Aquilejensis & Utinensis Ecclesiae, quae in illius locum successisse videtur, ornamentum fuisse dicuntur.

Quoniam supra de poetico ingenio Danielis Florii mentionem fecimus, non ab re erit de eo quoque separatim dicere. Et profecto si ullus esset humanarum rerum sensus in mortuis, nil ferret aegrius ejus frater Franciscus, quam sejungi laudes suas a praeconio hominis, quocum ita vixit, ut nulla unquam fuerit amicitia conjunctior, quemque mortuum sic doluit, ut vel ejus recordatione & memoria temperare sibi a lacrymis minime posset. Hic quinquennio serius in lucem hominum venit, neque eguit stimulis, ut eosdem cursus, quos frater, curreret. Cum eo fuit in Gymnasio Patavino, ut juris prudentiae operam daret: sed frequentavit etiam Morgagnium anatomes studio incensus, neque a latere discedebat Joannis Gratianii, cujus vivet memoria immortalis ob scriptam elegantissime Venetorum Historiam. Nil illum delectabat,

Digitized by Google

nisi quod acuebat ingenium, quod etiam si minime aleretur industria, valebat tamen ipsum suis viribus; nam docilitas & memoria, quae fere appellantur uno ingenii nomine, summae erant in eo. Prorsus formaverat illum natura ad poesim, quam excoluit omnibus illis artibus ac disciplinis, quibus eam ornari atque illuminari putavit, & quod nil magis optabat quam posse exprimere elegantiam & veneres Petrarchae, omnia illius carmina memoria comprehendit. Amabat etiam Dantis granditatem, quanquam nec verbis, nec sono ipso subrustico imitandam esse antiquitatem censebat. Quam facilis esset ad pangenda varii generis carmina apparuit ex Dithyrambo, quem ob avulsam pinum ab atro turbine condidit; quam eruditus vero patuit ex Academicis Dissertationibus de terrae motu, a quo tota illa Meridionalis Americae regio, quae *Chily* dicitur, foedum in modum conquassata fuit, & de Beleno Aquilejensium numine Herodiani locum illustrans. Post id funebri oratione laudavit Antonium Maninium, virum summa nobilitate & eximia virtute praeditum, eaque ad hominum manus pervenit. Porro

adolescentes omnes praedicari de se & nominari volunt, cui desiderio ut satisfaceret Florius, belle hercule accidit, ut Vindobonam cum Fratre concederet. Insinuavit enim se in amicitiam Metastasii, cujus testimoniis & carminibus quibusdam, quae dixit in litteratorum hominum coetibus aut laudes B. M. V. celebrans, aut breviter astringens argumenta, quae dilataverat suis in orationibus ad Caesaris aulam summi nominis orator Augustinus a Lugano, magna illico de illius poetico ingenio fama surrexit. Ad hanc confirmandam plurimum sane valuere carmina, quae redux in patriam illuc misit, quibusque flebiliter lamentabatur obitum Dionysii Delphinii Patriarchae,& Utinensibus suis gratulabatur, quod in locum patrui successisset Daniel, vir prudentia, & rerum usu minime inferior. Neque multo post vidit urbis terrarum quondam dominae reliquias, atque admiratus est, quae Summus Pontifex Clemens XII. in ea extruxerat regio sane sumptu aedificia, sic ut, quemadmodum Augustus, gloriari potuerit, se urbem, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquisse. Et de his quoque rebus carmina

nobilissima condidit, ob quae laudes et dona a Pontifice poesis studiosissimo accepit. Dixit etiam oden in Academia, cui nomen Infecundorum, de SS. Martyribus Primo & Feliciano, & haec ad conciliandam illi Gentilis Cardinalis voluntatem tantum valuit, ut omnes intelligerent in illo Florium praesidium firmissimum habere. Ea propter sacrum illi drama nuncupavit, quod inscripsit *il Pastor Buono*, quodque non solum omnibus poesis ornamentis, sed magna eruditionis copia, quam collegerat ex divinis & sacris libris, ad omnem memoriam commendavit. Tum quoque Florius suarum virium conscius cogitationem suscepit epici conficiendi poematis *de eversa Hierosolyma*, sed tempus & otium hujus absolvendi illi defuit, quod musas suas Caesarum aulae plane devoverat. Minime propositum est de singulis carminibus, quae illius caussa fecit, dicere, quia id nimis longum esset. Illud innuisse sufficiat nihil in ea evenisse, quod aut consilio hominum, aut virtute Ducum, aut singulari Dei beneficio felix faustumque esset, quod ipse suis poematibus variis, moratis, & omni fere numero ele-

gantibus minime celebraverit, ex quibus laudes, gratiam, & interdum etiam dona reportavit. *Cave putes*, in haec ferme verba scribebat ad illum Metastasius, *ulla unquam carmina audita fuisse libentius, quam tua; & si Deus siverit, ut tanti regni fastigium nunquam labefactetur, & perpetuo fortuna quam florentissima permaneat tot nuptiarum, tantorumque eventuum, e quibus tuorum elegantissimorum carminum argumenta sumpsisti, retinebitur etiam memoria concinnitatis tuae, qua quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset feliciter cecinisti.* Neque siluerunt unquam Musae Florii quoties suis, patriae & Venetorum nobilissimis viris, quorum in regendis civitatibus illustris fuerat gloria, officia tribuenda fuerunt. Neminem autem omnium tot ac tanta, quanta erant in Florio, habuisse ornamenta dicendi vel ex eo intelligi potest, quod aliquo in pretio habebantur collectiones illae carminum, quas despicere solemus, quod in vulgari & nimium pervagato versantur argumento, ut sunt laudes nuptiarum, sacrorum Oratorum, & rerum hujusmodi multarum, quoties in iis no-

men Florii apparebat. Et judice Clemente Sibilliato, qui si quis unquam alius teretes aures habuit, vel perplacebant Martelliani versus, quibus Italorum aures aegre accommodantur, cum ex Florii officina prodibant. Nonnunquam sapientis judicium a judicio vulgi discrepat, sed quidquid carminum fudit Florius, dulcissimo sono complebat aures omnium, neque ei satis erat delectare, sed instruere etiam volebat sapientissimis praeceptis, in quibus omnis bene vivendi, rei publicae prudenter administrandae, Deo hominibusque serviendi ratio continebatur. Atque omnium ferme virtutum poterat a se ipso exempla petere. Erat enim integer, innocens, religiosus, pius in parentes ac patriam, studiosissimus ac diligentissimus in colendis amicitiis, ac fide liberalitateque erga omnes singulari. Bonus & paterfamilias habitus est, cum uxorem duxisset Victoriam Valvasoniam, ex qua sex liberos suscepit, in quibus liberaliter & sancte educandis omnem diligentiam adhibuit. Cum uxore vero ita conjuncte vixit, ut nulla unquam inter eos intercesserit querimonia, mortuam vero sic carminibus defle-

vit, ut hujus conjunctionis nunquam interitura memoria videatur. Honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem, quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cum eam officio, non spei tribui viderent. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia, quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Atque haec, & alia multa sane ad exemplum illustria fecit non solum natura, sed etiam doctrina. Nam, ut ait ille, principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. Moris etiam majorum summus imitator fuit, omnisque antiquitatis, sed praesertim Christianae amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut cum ad Academiam accederet, quam Utini institutam fuisse diximus ad excolendas sacras litteras, nunquam non plauderetur ab universa corona ejus Dissertationibus omni eruditionis genere refertis. Neque minus frequentavit coetus illos, quibus propositum erat patriam historiam, omneque litterarum genus illustrare, cumque quotidie cogitaret quo-

nam modo sui & suorum studia ad patriae gloriam augendam excitare posset, impigrum se ad quidlibet suscipiendum ostendebat, & saepe majorum facta illustria commemorabat. Cum aliquando ei dicendum fuisset de cognatione, qua inter se continentur disciplinae & litterae omnes, tantam doctrinae copiam effudit, ut multarum illum esse peritum omnes judicaverint. Contigit illi quidem, quod haud scio an nemini, ut ad omnes res aptus esse videretur. Sed praesertim ea secutus est, quae ad animi habitus naturae modo & rationi, semperque religioni consentaneos obtinendos pertinebant, & virtutis ipsius imaginem ad vivum expressam in omnibus illius carminibus facile agnosces. Quare cum bina eorum volumina an. MDCCLXXVII. in vulgus emisisset, munus Summo Ecclesiae Rectore Pio VI. haud indignum fore putavit. Quantum hic, quantum ceteri omnes plausum fecerint his carminibus, minime necesse est dicere, cum jam undique constanti fama, atque omnium sermone Florii nomen celebraretur. Nec sane unquam scribendi finem facerem, si summorum Poetarum Metastasii, Zeni, Manfre-

dii, Zanotti, Cesarotti, Tornieri, Sibilliati, Roberti, aliorumque praeconia colligere vellem. Nec tamen is erat, ut sua illum maxime delectarent, quanquam vel in senectute facillimas musas experiretur, quod ex ode de terrae motu, qui horribilis in Calabria factus est, & ex carminibus, quibus mortem Metastasii, & Mariae Theresiae Caesaris deflevit, intelligi potest. Qui sancte vixerat, ita ex hac vita discessit, tanquam ex hospitio, quod accidit VII. Kalend. Majas an. MDCCLXXXIX. Sepultus est eodem loco, ubi ejus majores, nec defuerunt Poetae, qui sacro cineri flores dederunt, homini retribuentes officium, quod ipse alienae laudis praedicator eximius, suae autem contemptor, multis persolverat.

OPERA EDITA

FRANCISCI FLORII

Oratio in dimittenda Synodo Aquilejensi an. 1740. habita. *Extat* in Constitut. Synodalibus Patriarchae Delphini *Utini editis* apud Fongarinum 1741. p. 172.

Bacchiarius illustratus, sive de Priscilliana haeresi Dissertatio. *Extat in vol.* XXVII. *collectionis Calogerianae*.

Lettera al Canonico Bertoli sopra varie antichità Aquilejesi. *Extat in vol.* XXXIII. *ejusdem collectionis*.

Adnotationes in Praeceptum Ludovici II. Imperatoris anni 852. ex autographo Aquilejensi. *Extat in symbolis Litter. Antonii Francisci Gorii vol. II. p.* 47.

Bacchiarii Monachi opuscula de Fide, & de reparatione lapsi ad codices Bibliothecae Ambrosianae, nec non ad priores editiones castigavit, dissertationibus & notis auxit Franc. Florius Canonicus Theologus Sanctae Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis. Romae typis Antonii de Rubeis 1748. 4.

Dissertazione sopra il Deposito di Gastone della Torre Patriarca d' Aquileja esistente nel Convento di S. Croce di Firenze. *Extat* nelle Memorie della Società Colombaria Tomo II. pag. 43.

Digitized by Google

Diſsertazioni due de' privilegj, ed esenzioni del Capitolo di Verona: Roma per Generoso Salomoni 1754. 8.

Nuova difesa dei tre Documenti Veronesi: Roma per lo stesso 1755. 8.

Vita del B. Beltrando Patriarca d'Aquileja: Venezia per Simon Occhi 1759. 4.

Elogio del Canonico d'Aquileja Co. Gian-Domenico Bertoli. *Extat* nel Giornale de' Letterati d'Italia intitolato: *La Minerva* pag. 64. del mese di Settembre 1764.

Memorie del medesimo. *Extant in opere* degli Scrittori Italiani del Co. Mazzucchelli Vol. II. Parte II. pag. 1061.

Le Mani Morte, ossia Lettera all' Autore del Ragionamento intorno ai Beni posseduti dalle Chiese: Venezia per Francesco Pitteri 1766. 8. E in Milano l' anno stesso per Giuseppe Galeazzi 8.

Elogio del Conte Francesco Beretta Patrizio Udinese. *Extat in opere ejusdem postumo inscripto* dello Scisma dei tre Capitoli.

Memorie del medesimo. *Extant in opere, quod supra commemoravimus Mazzuchellii Vol. II. P. II. p. 919.*

Ragguaglio della Funzione seguita nella traslazione dell' antica Imagine della B. Vergine delle Grazie di Udine l' anno 1770. *Edita fuit*

cum

cum oratione panegyrica Innocentii Rainis canonici.

De Martyribus Lugdunensibus Dissertatio. Accedit altera de Jesu Christi Divinitate contra auctorem Lexici Philosophici; & Divinatio in S. Justini Martyris de Angelis testimonium. Bononiae ex Typographia D. Thomae Aquinatis *1779*. 4.

Elogio di Monsignor Francescò Trento Canonico della Metrepolitana di Udine. Vi si aggiugne in fine un Discorso nel dar l'abito religioso ad una sua Pronipote. Udine per Girolamo Murero 1787. 8.

De Sancto Gregorio Illiberitano libelli de Fide auctore, nec non de Sanctis Hilario, & Hieronymo Origenis Interpretibus Dissertationes. Bononiae ex Typographia D. Thomae Aquinatis *1789*. 4.

Elogio del Conte Daniele Florio. Udine per Girolamo Murero *1790*. 4.

Vita del B. Beltrando Patriarca d'Aquileja. Seconda Edizione accresciuta dall' Autore con un Discorso Preliminare d'illustrazione sull' antica Storia del celebre Patriarcato, e del Friuli. Bassano pel Remondini *1791*. 8.

Lectiones ad Officia SS. Chromatii & Valeriani.

De quodam Hegesippi fragmento, & de nonnullis SS. Patrum locis mendose hactenus editis, & nunc primum emendatis; opuscula duo postuma Bononiae *1793*. in 4.

OPERA INEDITA.

Informazione sopra il culto del B. Beltrando Patriarca d' Aquileja presentata a N. S. Papa Benedetto XIV., con Note, ed Appendice di Documenti.

Osservazioni sopra il Libro di M. Holland : Réflexions Philosophiques sur le Système de la Nature: Londres 1772.

De Ruffino Aquilejensi Eusebianae Historiae Interprete Judicium.

Eusebii Pamphili de Haereticorum Baptismo Historia vindicata.

Jacobi Gordini Archidiaconi Aquilejensis & Decani Utinensis Oratio & Epistolae Praefatione & Notis illustratae. Accedunt vetusta Monumenta observationibus aucta.

Necrologium vetus Capituli Aquilejensis Praefatione, Notis & Documentis illustratum.

De Monasterio Beliniensi prope Aquilejam Commentarium.

Osservazioni sopra varie aggiunte fatte dal Baluzio agli Atti del V. Concilio sui tre famosi Capitoli cavate da un MS. di Parigi.

Risposta ad alcuni Capitoli che riguardano tre Codici della Chiesa di Belluno.

Lettera sopra i Consulti di Tiberio Deciano Nobile e Giureconsulto Udinese.

Parere sopra la Riforma proposta di spiegare un Autore di Morale nel Seminario.

Decisiones Theologicae habitae in Ecclesia Aquilejensi ab anno 1730. ad an. 1747.

Un Volume di Dissertazioni Accademiche di vario argomento.

Un Volume di Elogj a varj illustri Soggetti.

Un Volume di Discorsi per Vestizioni e Professioni di Monache.

Un Volume di Lettere erudite.

Istruzioni sopra varj argomenti della Morale Cristiana.

Tomi IV. dell'osservazioni sopra i SS. Padri, e Scrittori Ecclesiastici.

Compendio della Storia Ecclesiastica del Fleury.

Tomi IV. di Documenti antichi con osservazioni.

OPERA EDITA.

DANIELIS FLORII.

Le Prediche Quaresimali del Molto Reverendo Padre Agostino da Lugano Cappuccino Difinitore della Provincia di Milano insigne Predicatore nel Duomo d' Udine l'anno 1731. ristrette in Sonetti dal Co. Daniele Florio. In Udine.

Orazione funebre in morte di S. E. il Sig. Co.

Digitized by Google

Antonio Manini Patrizio Veneto celebrandosi le di lui solenni esequie dalla illustrissima città d' Udine detta dal Sig Co. Daniele Florio. In Udine 1732.

Udine afflitta e consolata all' Illustriss. e Reverendissimo Monsig. Daniello Delfino Patriarca d' Aquileja. Stampe del Co. Daniello Florio, in Udine 1734.

Alla Real Maestà di Maria Amalia sposa di Carlo Re delle due Sicilie nel di lei passaggio per lo stato Veneto. Udine 1738.

Lo spettacolo de' Numi nella sontuosa Regata seguita in Venezia per sua Altezza Reale di Pollonia Principe Elettorale di Sassonia il Serenissimo Federico Cristiano. Idilio. Udine 1740.

Per le Nozze della Serenissima Arciduchessa Marianna d' Austria, Infante di Spagna, Principessa Reale d' Ungaria &c e di Sua Altezza Serenissima il Principe Carlo di Lorena e di Bari Canti due. In Vienna 1744. Ristampati nell' istesso anno in Venezia col titolo della *Concordia Sicura*.

La Libertà Difesa, o sia l' Arminio alla Sacra Maestà di Francesco I. Imperadore de' Romani &c. per la di lui gloriosa esaltazione al Trono Imperiale. Canto. Vienna 1745.

Alla Sacra Maestà di Maria Teresa Imperadrice, e Regina d' Ungaria, e Boemia per essere sta-

to eletto, e coronato Imperadore de' Romani il di lei Sposo Francesco I. &c. Canzone. Vienna 1755.

A sua Maestà la Regina d' Ungaria, e Boemia nella morte dell'Arciduchessa Marianna di lei Sorella. Sonetti due, Vienna.

Al Serenissimo Carlo Principe di Lorena &c. Ode, in cui s' induce l'estinta Arciduchessa a confortare lo sposo, e ad incoraggirlo all' e-spedizione della Slesia sull' esempio di Gionata, e Giuda Maccabeo. Vienna.

L'Amor di Dio. Ragionamento del Reverendissimo Sig. Abb. Domenico Aurelio Franceschi Reggiano, ristretto in versi. Udine 1745.

Per lo stabilimento delle scienze, e la riforma de' studj fatta nell'Università di Vienna dalla S. I. R. M. di Maria Teresa Regina d'Ungaria, e di Boemia &c. Canzone. Vienna 1753.

Altra Canzone sull' istesso argomento. *Hac odae extant in libro, cui titulus*: Musae Francisco, & Mariae Theresiae Augustis congratulantur ob scientias, bonasque artes eorum jussu, & beneficentia Vindobonae restitutas. Vindobonae 1756.

La Provvidenza alla S. I. R. M. di Maria Teresa Regina d'Ungaria, e di Boemia &c. per li felici progressi delle di lei Armi, Poemetto con due Sonetti 1757.

Componimenti Poetici per la compita Vittoria

Digitized by Google

riportata in Boemia dall' Armi Austriache il giorno 18. Giugno 1757. Vienna.

Sonetti in occasione della precipitosa ritirata del Re di Prussia dall' assedio d'Olmitz li 2. Giugno 1758. Vienna.

Il Pastor Buono per la solennità del Santo Natale. Azione Sacra 1750. Udine.

Per le nozze delle LL. AA. RR. l'Arciduca Giuseppe d'Austria e la Principessa Isabella di Borbone. Canti due. Vienna 1760.

Per le nozze delle LL. MM. di Giuseppe II. d'Austria, e di M. Gioseffa di Baviera, Re, e Regina de' Romani. Sonetti due 1765. Vienna.

Per le Nozze delle LL. AA. RR. l'Arciduca Leopoldo d'Austria e l' Infante D. Maria Luisa di Borbone celebrate in Ispruch. Canzone. Vienna 1765.

Le Grazie. Poemetto per le nozze di SS. EE. il N. H. Conte Giovanni Manini, e la Nob. Donna Samaritana Delfino. Venezia. 1766.

Lo studio dell' Antichità a S. E. Reverendiss. M. Gian. Gerolomo Gradenigo Arciv. d'Udine. Egloga recitata nell' Accademia Udinese. Udine 1766.

I Voti esauditi alla Sacra I. R. A. Maestà di Maria Teresa nel di lei felice risanamento dal Vajolo. Poemetto: Vienna 1767.

I Felicissimi Imenei di Ferdinando IV. di Bor-

bone Re delle due Sicilie, e di M. Gioseffa d'Austria. Vienna 1767. Poemetto in due Canti. Per le felicissime Nozze delle SS. RR. MM. di Ferdinando IV. di Borbone Re delle due Sicilie, e di Maria Carolina d'Austria. Poema. Venezia 1768.

Per le nozze di Maria Antonia Arciduchessa d'Austria con Luigi di Borbone Delfino di Francia. Vienna 1770.

La pubblica Felicità per le Faustissime Nozze delle LL. AA. RR. l'Arciduca Ferdinando d'Austria, e la Principessa M. Beatrice d'Este. Canzone. Vienna 1771.

Per la felicissima Nascita di S. A. R. il Principe Ereditario delle due Sicilie. Canzone. Napoli 1775.

Per la Magnifica Festa data a Napoli dagli Ufficiali del Real Battaglione de' Volontarii di Marina alle loro MM. il Re, e la Regina delle due Sicilie per la Nascita del Principe Ereditario. Canzone. Napoli 1775.

La Caccia. Canzone con Sonetto Proemiale a S. R. M. di Ferdinando IV. Re delle due Sicilie. Napoli 1776.

L'Onore, stanze nell' ingresso del N. H. Gerolamo Venier Procurator di S. Marco. Udine

Al Celebre Sig. Abb. Metastasio Ode relativa alla di lui graziosissima sulle delizie di Schonbrum. Gorizia, e Venezia 1777.

Digitized by Google

In Morte del suddetto. Componimenti, in Padova, e ristampati in Gorizia, ed Udine 1782.

Alcune Poesie in morte di S. M. l'Imperadrice Maria Teresa. Gorizia 1782.

Sopra l' orribile terremoto di Messina, e delle Calabrie. Canzone, Bassano 1783.

Rime Sacre, e Morali alla Santità di N. S. Pio VI. in Udine 1777. T. uno in 8.

Poesie varie dedicate alla Santità di N. S. Pio VI. in Udine 1777. Parti due in 8.

Tre Canzoni nella Partenza da Padova del Sig. Alvise Mocenigo dopo il suo glorioso Reggimento. Padova 1783.

OPERA INEDITA.

Varj Canti del Poema di Tito, o sia Gerusalemme distrutta. T. I.

Varii Squarci relativi al suddetto Poema con li materiali preparati per esso cavati da Sacri, e Profani Autori; e massime dalla S. Scrittura Vol. IV.

Varii Canti del Poema della Fantasia. T. Uno in 4.

Traduzioni di 50 e più salmi, massime quelli dell' Uffizio de' morti, ed altre Poesie sacre. T. uno in 8.

Sonetti e Canzoni, in cui vengono epilogate le Prediche Quaresimali di 30. e più Predicatori. Tomi due in 8.

Raccolta di Brindesi. T. uno in 4.

Poesie di Genio sì in Sonetti che in Anacreontiche T. uno in 8.

Poesie morali, e Filosofiche T. uno in 8.

Canzoniere Austriaco, in cui oltre le cose stampate si trovano molte d'inedite, cioè un poemetto per la Nascita dell' Arciduca Giuseppe poi Imperatore, molti Capitoli sulla morte di Carlo VI &c. Tomi due in 4.

Il Dramma dei Fratelli Concordi, ed altro di Giunio Bruto, oltre altri pezzi di Drammi cominciati.

Varie dissertazioni recitate nell' Accademia Ecclesiastica, ed Udinese, ed una orazione funebre per la morte del Patriarca Dionisio Delfino T. 1. in 4.

Pezzi originali di varii Autori, ed estratti disposti secondo l'ordine Alfabetico sotto varii titoli; cioè Ambizione, Bellezza, Bontà, Lusso, Politica, Ragione, Religione &c. Vol. V. Altri estratti, e squarci di poesia di poeti antichi, e moderni disposti come sopra Vol. VI.

Lettere. Vol. 1.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO CIACCHERIO

A BIBLIOTHECA LYCEI SENENSIS

S. P. D.

Optimus quisque posteris servire maxime studet, sed paucis datum est ea facere, quorum utilitas in posteritatem omnem redundet. An putas Pyrrhi Gabriellii tui memoriam tam gratam, & gloriam tam stabilem futuram fuisse, nisi omnes nervos contendisset, ut, quasi fuligine abstersa, apud vos recta splendescerent philosophiae studia, atque retinerentur, instituta Physiocriticorum Academia, quae custos & servatrix eorum esset? Hanc non solum discipulorum suorum fidelitas, sed etiam universae civitatis oculi custodierunt, & bonis initiis orsa, ita adolevit, ut nemo nunc sit physicarum &

Digitized by Google

mathematicarum disciplinarum doctrina clarus, qui in eam adsciscì, quoniam & alienigenis locum dat, & scriptis suis illius gloriam augere non sibi laudi ducat. Sunt jam in manibus hominum septem usque volumina Actorum ejusdem, in quibus studia recta atque honesta per otium concelebrata a sapientissimis viris mirum in modum enitescunt. Sed ut pecuniae quaerendae non solum ratio est, sed etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, sic apud vos plures fuerunt, qui Gabriellii imitati exemplum, nil aliud curarunt, nisi ut civibus suis instrumenta amplificandi honoris & gloriae relinquerent. Quid unus Alexander Bandinius Archidiaconus non gessit, ut ii haberent bibliothecam omni librorum copia refertissimam, utque adolescentes ingenio praediti, qui propter humilitatem & fortunae iniquitatem in hominum ignoratione versati essent, magna spectarent, & ad ea rectis studiis contenderent? Multam tu quoque laudem a summo viro consecutus es, neque haec quidem cum vita tua pariter cadet, cum omnis fere artis ingenuae intelli-

gens existimator plurima in patriae ornamentum collegeris, tabulas, signa, anaglypta, manu scriptos codices, numismata, & id generis alia plura, quae sane multis esse poterunt industriae subsidia, & instrumenta virtutis. Profecto omni tempore fuit haec laus Senensium propria, ut patriam maxime diligerent, & in ea omnia sua ponerent & quasi consecrarent, & quem supra ceteros excellere vidissent, non invidia obtererent, sed in oculis ferrent, atque in omnia illius dicta & facta, ea posteritati mandandi caussa, inquirerent. Quare dubitare non possum, quin tibi gratissimum futurum sit munusculum, in quo rudi licet penicillo expressam intueberis Gabriellii imaginem. Fecerunt hoc ipsum alii copiose, sed nobis summas rerum attingere tantummodo propositum fuit. Neque enim verendum est, ne extinguatur gloria hominis, cujus meritorum in patriam liberis posterisque memoria ita prodita est, ut his ingratis esse non liceat. Cura ut valeas.

Ex Meletiano prid. Kal. Junii MDCCLXXXXV.

Digitized by Google

PYRRHUS GABRIELLIUS

Pyrrhus Gabriellius antiqua & nobili familia Senis natus Kal. Aprilis MDCXXXXIII. patre Joanne, qui in Belgio una cum Francisco fratre Equite Hierosolymario stipendia meruit Philippi IV. Hispaniarum Regis, matre Aurelia Cosattia, non admodum prospero usus est initio adolescentiae. Illi enim pater tenuissimum patrimonium reliquit, caruit viribus corporis, cum fere semper aegra valetudine esset, inciditque in tempora litteris inimica. Quindecim erat annorum, cum ignorabat adhuc num ad eas aptum ingenium a natura nactus fuisset, cum coepit vero gustare, sic avide arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut eos ipsos superaverit

Digitized by Google

condiscipulos, qui a prima aetate iisdem se dederant. Neque vero iis assensus est, qui monebant, ut juris prudentia afflictam familiae fortunam excitaret; nam hac disciplina vix a limine salutata, ingenio suo obsecundavit, seque ad naturalium rerum studium contulit. In philosophia praeceptorem habuit Ascanium Venturium Galleranium, qui primus e Senensium scholis ablegavit morem argutissime disputandi de rebus aut non necessariis, aut ineptiarum plenissimis. Non pari felicitate usus est, cum medicinae studere coepisset, quae tota erat contaminata Arabum & Galenicorum opinionibus: cumque caelestia quoque noscere concupivisset, eorum vim ad illa, quae in terra accidunt & fiunt, pertinere, seque futurorum quoque praedictorem esse posse putavit. Perversae institutionis vitia postea magna sapientiae copia emendavit, ad quam comparandam sibi auctor & dux fuit. *Ego vero* (in haec verba scribebat ad amicum) *nihil tam nolo, quam esse medicum, antequam sim.* Itaque nemo illum convenire potuit, quin esset occupatus vel in secandis cadaveribus ad noscendam miram

corporis humani fabricam, morborumque causſas investigandas, vel in chemicis experimentis habendis earum praesertim rerum, quae medicinae usui esse potuissent, vel in herbarum natura proprietatibusque scrutandis. Exercitatio, & temperantia in victu, omnisque sedatio perturbationum animi, & rerum modus auxit in eo virium robur, & in hoc fuit sapientissimus, quod, amputata & circumcisa inanitate omni & errore, continuit studia sua in contemplatione naturae. Factus Botanices magister ad Lycei Senensis horti ornamentum transtulit rariores plantas, quas Petrus Andreas Mattiolius in suburbana quadam sylva collegerat, alueratque, aliasque ex aliis locis illuc devehendas curavit. Poterat vero de omnibus varie & copiose dicere, quod quidquid legerat & viderat in memoria haerebat, quodque maxime intentis oculis minima quaeque contemplari solebat. Porro nisi in illo summa harum rerum cognitio fuisset, non alterum Mattiolium cives sui ipsum appellassent, nec frequentissime homines in hac facultate exercitatissimi per litteras consuluissent. Dum multis modis consulebat civium

commodis, & eorum utilitati salutique serviebat, de patriae quoque gloria cogitavit. Nemo sane dubitabit quin hominum studia ad amplificandas disciplinas prompta & parata virorum praestantium societate plurimum excitentur. Hinc Academiarum institutiones, inter quas maxime tum florere videbantur Parisina, Londinensis, & Germanica, quae Naturae Curiosorum appellabatur. His quidem omnibus praeiverat Florentina, sed jamdiu illa esse desierat, nec quidquam hujusmodi Italia amplius habebat, quo cum exteris nationibus contendere potuisset. Gabriellius itaque de condenda Physiocriticorum Senensi Academia an. MDCLXXXXI. deliberavit, eique patronum dedit Franciscum M. Mediceum Cardinalem. Plurimum illi elaborandum fuit, ut multa removerentur, quae obstare & impedire videbantur, quominus gloriosa res ad exitum perduceretur, & ut sunt rerum initia parva, sodalitium potius juvenum, quam conventum illustrium virorum illam Academiam principio dixisses. Magnum quidem adjumentum attulit Gabriellius Senensibus suis, ut non modo silerent senes illi, quos pudebat fateri se igno-

ignorare, quae imberbes ab ipso didicerant, sed etiam docti plurimum se adeptos fuisse arbitrarentur & ad inveniendum, & ad judicandum. Ponebantur quaestiones de rebus naturalibus, quae minus cognitae, quaeque scitu utiliores esse putabantur, nec rationibus modo, sed, quod magis est, experimentis, quae in dubium erant vocata perpendebantur. Praeerat his omnibus exercitationibus Gabriellius, & ne quid deesset ad capienda experimenta, magna instrumentorum supellectile Academiam suam ditavit. Nihil iis temporibus celebratius fuit Boileana machina, quam ita in ipsa Senarum urbe perficiendam curavit Gabriellius, ut nulla absolutior, nulla ad habenda experimenta expeditior vel ab ipso inventore fabricata fuerit. Neque ejus se praebuit spectatorem otiosum. Tot enim nova per eam invenit, ut nulla feracior fuisse videatur. Quidquid vero objiciebatur, caussa & occasio erat novorum experimentorum, quorum tantam copiam in promtu habebat tum ad physicam illustrandam, tum ad medicinam juvandam, ut de iis vulgandis fidem suam obstrinxerit Petro

Beringuccio Comiti, a cubiculis Jo. Gastonî Mediceo, ad quem extat Gabriellii epistola data Senis VIII. Kal. Decembris an. MDCCIV. editaque eodem îllo anno. Sed obstitit diuturnus & gravis morbus, ex quo anno post XIV. Kal. Januarias interiit, ne promissa exsolveret, & quod mireris inventus est nemo, qui in apertum proferens quae ipse paraverat, ejus & physicorum votis responderit. Neque in animo illi solum fuit Academicos Physiocriticos suos in terra continere: nam vehementer semper optavit, ut ad caelestia quoque oculos converterent, eaque propter in ipsa aula, in qua conventus habebantur, meridianam lineam descripsit, quae perfectione operis cum celebrioribus contendere potest. Nihil unquam hujusmodi viderat Gabriellius, quippe qui pedem patria non extulit, sed sua sustentatus doctrina quid peragi, quid caveri debuerit intellexit, ex quo conjici potest, postquam divinanti astrologiae nuncium remisit, sic astra illum suspexisse, ut referret omnia ad veritatem utilitatemque. Quem usum vero habere possent astronomi ex sua meridiana linea, quid prae-

stiterit in illa construenda, quot labores tulerit, quot impedimenta superaverit, ipse exposuit, nec aliud deesse videtur huic scripto, quod an. MDCCV. vulgatum est Senis, nisi observationes astrorum, quibus notandis inveniri potuit scientia. Praeter istud nullum aliud est in manibus hominum Gabriellii ingenii monumentum, quamvis multa paraverit, quae ad physicam, medicinam, & anatomen pertinent, ex quibus perspici potest nullam pestem majorem invasisse in philosophiam ipsum putasse, quam eorum opinionem, qui auctoritati omnia tribuentes, quo facilius omnia, quae vellent, explicarent, experientiam & observationem constantem & diuturnam ab ea segregarunt. Talibus vocibus undique discipulorum suorum aures circumsonabant, qui quidem turpissimum judicassent, ut, cum omnia sibi suppeditata fuissent a tanto magistro, ipsi sibi defuisse viderentur. Haec erat summa ratio & sapientia optimi civis, patriae, non sui gloriae utilitatique consulere, ob quae merita, & ob ejus singulares virtutes, quae valent ad conciliandos homines, humanitatem, comitatem, mo-

destiam, sermonis affabilitatem, patientiam, gravitatem, ita colebatur ab omnibus, ut tanquam in clarissima luce versaretur, nullum obscurum esset ejus dictum, et factum. Mortuum etiam laudarunt Scipio Petruccius Eques, & Crescentius Vasellius, quorum alter orationem dixit in funere illius, quod satis amplum faciendum curavit Laelius Cosattius pro collegio & propinquitate, alter autem vitam declaravit, quam Marius Crescimbenius retulit in Partem II. Vitarum illustrium Arcadum. Nam in horum quoque coetum singularia fuerunt Gabriellii merita, qui in omne id, quod decorum, honestum gloriosumque esset, mirabili ferebatur amore.

ANGELUS FABRONIUS

CAJETANO CARCANO

REGIO TYPOGRAPHIO NEAPOLI

PRAEFECTO.

S. P. D.

Cum res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis quaerere institui, statim intellexi unum Neapolitanum regnum infinitam & immensam litterariae historiae materiem suppeditare, & nullum esse doctrinae genus, quod apud vos non in honore fuerit, & studiosissime excultum. Vel eo tempore, quo corruptas, vel potius extinctas Italia deplorabat eloquentiam & poesim, minime defuere

Digitized by Google

qui castissimas artes ab audacia & libidine procorum liberarunt, quique omnino dederunt operam, ut in pristino dignitatis gradu collocarentur. Perverterunt quoque homines ea, quae sunt fundamenta naturae, & in magna confusione temporum, rerum ignoratione, & morum barbarie nullus aequitati locus dabatur, leges pro arbitrio potentiorum ferebantur, omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur & societate generis humani, vacillante justitia, jacebant. Ad tantum sanandum malum revocatae ex oblivione hominum leges Romanae fuerunt, utque coepit esse in laude cognitio & interpretatio civilis juris, nullus nec feracior, nec uberior Jurisconsultis locus Neapoli fuisse videtur, cum non tam scientiae dignitate, quam utilitatis magnitudine homines ad suscipiendum discendi laborem impellerentur. Iidem & docuerunt quae sunt publica jura, quae propria civitatis & imperii, quibus gubernari deceat legibus civilis & Christiana respublica, quid ex majorum instituto, quid ex hominum malitia ad obtinendam vel augendam potentiam actum fue-

rit, cumque monimenta rerum gestarum, & vetustatis exempla undique conquisiissent, & in publicum protulissent, non parum lucis attulerunt superiorum saeculorum historiae. Tum magis magisque apparuit quam utilis & frugifera esset antiquitatis notitia, quo in studio & nostra & patrum majorumque memoria floruerunt adeo Neapolitani, vix ut ullam ceteris gentibus reliquisse laudem videantur. Ea propter magnam dederunt operam Graecis litteris, cum quibus res patriae ob Graecam eorum originem arctissimo vinculo conjungebantur, nullumque extitit eruditionis genus, cui penitus non se dederint, quodque scientia & cognitione minime comprehenderint. Quare fecerunt, ut de illorum urbe renovari elogium potuerit, quod illi olim tribuerant Martialis & Silius Italicus, cum eamdem doctam & hospitam musis appellavissent. Porro quis, ut aliquos honoris caussa nominem, majorem laudem consecutus est earum rerum investigatione, quas cogitando assequimur, Joanne de Vico & Antonio Genuesio? Quis Alphonso Borellio in omni re mathematica & physica do-

ctior? Quis omnis antiquitatis sacrae, profanae, Judaicae, Graecae & Latinae, scriptorumque veterum Alexio Symmacho Mazocchio peritior? Quis Petro Jannonio in investiganda civili historia solertior? Quis demum Cajetano Filangerio felicior in eligendis, conjungendis, & sub uno veluti adspectu ponendis iis, quae ad bene & recte gubernandam rempublicam a summis viris tradita fuerunt? Horum omnium nos vitas explicavimus, & ex ingenti quodam immensoque campo alios seligere mens est, quorum facta & scripta immortalitate digna putamus. Interea, dum tibi obsequi studeo Leonardi de Capua vitam declarans, in eo quoque rem gratam tibi me facturum confido typis iterum mandans, quae de patre tuo litteris consignasti, in quibus non magis pietati, quam veritati praeclare satisfecisse mihi videris. Fuit enim vir cum paucis lepore & elegantia comparandus. Quanti autem scriptum istud tuum sit faciendum, facile judicabunt ii, quibus elegantia & munditia Latini sermonis perplacet, in qua excolenda utinam plures tui similes haberemus. Vale.

LEONARDUS DE CAPUA

Leonardus de Capua humili & obscuro loco, cui Bagnoli nomen est, natus IV. Id. Augusti MDCXVII. patre Caesare, matre autem Joanna Bruna, caruit iis praeceptoribus, quibus pueri ad humanitatem & religionem informari solent. Mature enim amisit parentes & fratres suos, quorum minimus natu erat, cumque in matrimonium collocata fuisset, quae unice superstes fuerat, soror, Neapolim ductus est (vix tum attigerat XII. aetatis annum) qua in urbe philosophiae & theologiae, ducibus Jesuitis, operam dedit. Tum minime peregrinus erat in Latii lingua, quam per se se incredibili labore didicerat, neque prorsus ignorabat ea, quibus

ad sapientiam concipiendam praeparari solemus. Cum vero acre ingenium, & rectum judicium a natura obtinuisset, haud potuit iis magistris, quos tamen per septennium fere audivit, contentus esse, quare condiscipulis suis saepe exponebat ea, quae valebant ad eorum sententias in philosophicis rebus evertendas. Attigit quoque juris prudentiam non pragmaticorum more, cum mirifice delectaretur lectione operum Cujacii, & in consuetudinem se insinuasset Jurisconsultorum, qui eruditione praestabant. Nihilo tamen minus eorum paruit consiliis, qui ad excolendam medicinam ipsum invitabant, & quamvis nunquam a latere discederet Aloysii Gratiae, cujus magna erat fama, felicitate magis, quam doctrina parta, secreto tamen sibi comparabat subsidia, quae ab anatome & experientia suppeditantur, in quibus haud esse solebant Galeni sectatores, quorum in numero Gratia ille ponebatur. Nondum expleverat XXIII. aetatis annum, quando in patriam rediit, non tam ut civibus suis medicinam faciens serviret, quam ut sibi prospiceret. Remotus enim ab hominum frequen-

tia totum se dedidit philosophiae, maximeque contemplationi rerum naturalium, & quia nil tam verebatur, quam ut dubitare de rebus videretur, cum omnia densissimis circumfusa esse tenebris intelligeret, in eam consuetudinem paullatim venit, ut vel rem minime dubiam argumentando dubiam faceret. Solitudine quoque aluit musas suas, quas saeculi vitiis abstersit, Petrarcham, Casam, Costantium ceterosque illustriores poetas imitatus. Exarasse etiam dicitur comoedias omni sale & lepore conditas, & tragoedias binas, quarum alteram inscripsit, *martyrium S. Theclae*, alteram *martyrium S. Catharinae*. Innumera vero sunt, quae litteris mandavit vel ad explicandos emendandosque Poetas Latinos & Etruscos, vel ad res naturales illustrandas, quorum scriptorum edendorum cum cogitationem suscepisset, iter Neapolim ingressus est. In ipso itinere incidit in latrones, a quibus non omni solum re, & ipso equo, in quo insidebat, privatus fuit, sed etiam scriptis, quorum jacturam deplorare nunquam cessavit. Ex eo tempore prorsus conticuerunt musae illius, & in medicina &

in philosophia vitae tabernaculum collocare deliberavit. Acerbiora etiam perpessus est a patriae suae domino, cui indigna & injusta petenti fortiter obstiterat, & ab iis civibus, qui illius libidini favebant. Nam capitalis rei accusatus est, quam ob caussam biennium Beneventi fuit, sed haec ipsa accusatio ejus illustravit innocentiam. Nunquam tamen adduci potuit, ut in patriam rediret, cumque Neapoli domicilium posuisset, sic obsequebatur studiis suis, ut ejus nomen a peritissimis celebraretur. Intime praesertim utebatur Marco Aurelio Severinio, & Thoma Cornelio, qui omnibus philosophis tum anteponebantur. A Cornelio etiam redeunte ex longo itinere, quod per Europam fecit, habuit recentiorum, nobilissimorumque tum physicorum, tum medicorum opera, in quibus volutandis dies & noctes insudabat; sed cum perpauca inveniret, in quibus plane acquiesceret, homo dubius atque haesitans, & sibi ipse plerunque diffidens, de instituenda Academia cogitavit, cui proposita esset investigatio rerum, quae a natura involutae esse videntur, & de quibus variae & dissidentes erant philosopho-

rum sententiae, quaeque propterea dicta est *Investigantium*. Consilium probavit Cornelius; neque is modo, sed & Alphonsus Borellius, Lucas Portius, aliique docti viri se ei comites futuros polliciti sunt. Inde ortum habuerunt ipsius Cornelii *Progymnasmata physica*, aliorumque scripta, ex quibus intelligi potest quid viri clarissimi senserint de Leonardi doctrina, quanquam soleret ab iis interdum in disputationibus dissentire. Plura & ipse detulit ad Academicos suos, disserens de fluidis & solidis corporibus, de calore & frigore, de dulci & amaro, de luce & coloribus, aliisque hujusmodi rebus plurimis, solitus dicere ex eo tempore, quo ad rerum naturalium scientiam comprehendendam impulsus & incensus fuit, se ea praesertim investigasse, quae densiori obvoluta caligine esse videbantur. Quanquam illa minime vulgaverit, multa tamen eorum retulit in librum, quem serius omnino emisit de *Mofetarum*, ut ajunt, natura, quemque Christinae Svecorum Reginae nuncupavit. Haec enim tractans longe vagari voluit, cum inquisivisset non solum ea, quae caussam dare possunt

Digitized by Google

subterraneis ignibus, exhalationibusque terrae; quid de iis senserint veteres & recentiores physici, quid sint & efficiant vapores, halitus, flamma, fumus, sulphur, acidi sales, alcali, sed etiam de fodinis, de metallis, de motibus naturalibus, voluntariis involuntariisque animalium, de somno & somniis, de frigore & calore, de ventis, aliisque multis hujus generis rebus copiose egisset. Quam vere tu videris: erudite quidem & eleganter illa exposuit omnia, quae iis temporibus laudatores habuere mirificos. Doctrinae Leonardi non solum participes erant Investigantes Academici, sed etiam adolescentes plurimi, qui illius domum frequentabant exercendi se caussa in rebus physicis, quibus cum aliquando exposuisset rationes eas, ob quas putabat fieri posse, ut interdum iris in modum ingentis circuli conformata conspiciatur contra id, quod senserant Aristoteles, ceterique philosophi, haec res tam acerbas genuit controversias inter ejus & Dominici Aulisii discipulos, ut nisi intercessisset publica auctoritas, ad manus & ad arma fortasse venisset. Nihilo tamen minus Leonardus suam minime mutavit

sententiam, quin immo pluribus confirmavit, & ad retinendam Academicos collegas suos invitavit. Mors interea accidit Arenae Marchionis, quem Leonardus patronum dederat Academiae, quem ob casum opinione omnium majorem animo cepit dolorem. Nam & amico amisso, cum consuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione se privatum videbat, & interitu talis patroni dignitatem sui sodalitii non solum diminutam, sed etiam extinctam dolebat. Augebat molestiam magna sapientium civium bonorumque penuria, & cum inventus esset nemo, qui ad gubernacula sederet Academiae, magno litterarum detrimento illa esse desiit. At non propterea suis in studiis cessavit Leonardus, cumque aliquando a Prorege interrogatus fuisset, quae caussa esset optimorum medicorum paucitatis, inde occasionem arripuit conscribendi operis, quod anno MDCLXXXI. vulgatum est cum hoc titulo: *Parere del Sig. Leonardo de Capoa, divisato in otto ragionamenti, ne' quali partitamente narrandosi l'origine, e il progresso della medicina, chiaramente l'incertezza della medesima si manifesta*. Habuit sane in

quo ejus ingenium in universorum generum disputationibus exercitatum, & ad omnia in dubium revocanda propensum longe excurreret. Non enim medicina similis est artium reliquarum, quae multa habent certa & evidentia, quibus quasi fundamentis innitantur. Sedem tamen habet, in qua consistat, & multorum saeculorum consensus & experientia nos docuit non solum prudenter, sed etiam divinitus ab Hippocrate multa praecepta & praedicta fuisse. Nihilo tamen minus Leonardus suae arti infidus, omnem ejus dignitatem evertere conatus est, ut ne nomine quidem artis dignam illam putaverit. Ea propter haud semel affirmat a Graecis exiguos admodum in medicina factos esse progressus, & nihil fere ei ab iisdem collatum, nisi quod ipsam verborum dote locupletaverint. Ex quo Graecorum studia occiderunt, proseminatae sunt quasi familiae medicorum inter se dissentientes, de quibus dicenti facile fuit multarum errores, somnia & aniles superstitiones in apertum proferre. Ut rem gratam faceret Christinae Svecorum reginae, cui omnia sua studia consecrasse videbatur, ad ea, quae de

le–

Digitized by Google

levitate & imperitia medicorum exaraverat, addidit postea multa, quae pertinebant ad medicamenta, ut probaret nihil iis incertius esse, damnavitque praesertim eos, qui violenta adhibent, sicuti mercurium, sublimatum, antimonium, chalchantum, tartarum, helleborum, quique purgationes ciunt, & sanguinis missione abutuntur. Sunt quidem in hoc opere erudita multa, nonnulla etiam vera, nihilo tamen secius Jo. Freindius in historia medicinae ita de eo judicat, ut nihil absurdius se legisse affirmet, illud & addens, minime Auctori defuisse ingenium in conquirenda undique eruditionis copia, sed sic illo abuti, ut omnia semper malam in partem detorqueat. Vel iis temporibus, quo illud vulgavit Leonardus, invenit qui contra se diceret, culpaveritque, quod mendose scripserit (1). Nullum tamen adversario responsum

(1) Dialoghi del Sig. Corrado Vestolieri sopra il parere del Sig. Lionardo de Capua intorno all' incertezza della medicina. *Horum dialogorum auctor fuit Jacobus Lavagna.*

dedit, quam consuetudinem tenuit vel quando a Benedicto Aletino omni injuriarum maledictorumque genere oneratus fuit. At nequa ex hujus summa indignitate labes aliqua illius dignitati adspergeretur, defensionem ejusdem susceperunt Constantinus Grimaldius, & Franciscus Andrea, qui quamvis dictorum rationem minime reddidissent, auctoritate tamen vel malevolentissimos obmutescere coegissent. Extremo tempore vitam exaravit Andreae Cantelmi, qui in re bellica administranda strenuissimis & prudentissimis ducibus par esse potuisset, sic autem exaravit, ut rerum gestarum pronunciator sincerus & grandis fuerit. Amabat granditatem in verbis, simplicitatem in medicina, libertatem in philosophando, varietatem in studiis, constantiam in labore, patientiam in rebus adversis, modestiam & veritatem in dictis, in jocando leporem atque ironiam, in victu temperantiam, integritatem humanitatemque in moribus, & decus in omni vitae actione. Quare minime defuere, qui in illum convenire dicerent, quae de Socrate a veteribus mirifice praedicata fuerunt. Cum in matrimonium duxisset Annam

Mariam Oriliam, ex qua plures suscepit liberos, ridens amico se alterum Socratem nominanti dixisse fertur, se quidem Graeco philosopho fortunatiorem putare, quod sine ulla querela cum uxore vixisset. Vitam autem produxit ad LXXVIII. usque aetatis annum, quanquam saepe podagrae doloribus cruciaretur maximis; nam mortem obivit XV. Kal. Quintiles an. MDCXCV. Multa de eo historiae mandavit Nicolaus Amenta Neapolitanus, qui ipsum audivit, cumque scribat de mortuo, nulla suspicio est amicitiae caussa esse mentitum.

Digitized by Google

PASCHALIS CARCANUS (*)

Paschalis Marci Carcani F. Neapoli natus, sed *Geſunio*, seu *Junonis Fano*, in agro Picentinorum ad ostia Silari ob insigne Junonis Argivae templum inprimis celeberrimo, oriundus. Hujus de rebus gestis dubito quemadmodum exponam, quod vereor, si res explicare satagam, non ejus vitam, sed sui aevi historiam videar scribere. Verum de hoc priusquam dicamus, praecipiendum videtur, merito cum illis cujuscumque aetatis esse comparandum, qui cum pares principibus viris esse possent delatis dignitatibus, propriis ingenii facultatibus, ac datis ab se operibus, communes infimis, ac obscuri, quantum in se fuit, delituere; praesertim cum

(*) *Hujus vitae, ut supra innuimus, auctor est Cajetanus Carcanus.*

Digitized by Google

pro magnitudine laborum non prospere iis cesserit fortuna. Cum igitur imaginem vitae ejus exprimere velimus, si per se virtus sine fortuna ponderanda esset, nihil videmur debere dubitare, an hunc primum omnium ponamus; quod magnos viros virtute metimur, non fortuna. Quare dicemus primum de genere ejus, deinde quibus disciplinis, & a quibus sit instructus, tum de moribus, ingeniique praestantia, & si qua alia digna memoria erunt.

Natus igitur Patre, quem diximus, honesto genere, mense Martio anno MDCCXXI, contemptu sui, quam virtutum laude nobilior extitit; cui neminem sine dubio praefero fide, integritate, omnigena eruditione. Praeter illustrem progeniem, & non indecoram majorum, praesertim Patris, famam, multa alia a natura habuit bona; nam ad corporis firmitatem ingenium docile, capax, aptum ad artes optimas accessit. Erat autem modestus, prudens, temporibus sapienter utens, animo maximo. Quinque fratrum doctrina ac literis spectatissimorum postremus fuit. Annum agens septimum patrem amisit, ex ejusque occubitu Ma-

ria Angela de Matthaeis alteras nuptias festinavit, quare duro admodum usus est initio adolescentiae. Educatus est in domo Honuphrii Roseti (privignus enim ejus fuit) eruditus a Fratre natu maximo Dominico. Hic fulgentem jam in puero indolem virtutis, & mores ad summam gravitatem compositos perspiciens, strenua ac fideli opera ingenium studiis excolendum despondit, ac omnibus disciplinis, quibus teneriores puerorum mentes informari solent, illum erudivit. Tanto supra aetatem acumine grammaticis ac rhetoricis praeceptionibus est obsecutus, ut nemo magis. Peradolescentulus Marcellum Papinianum Cusanum tunc in Academia Neapolitana Juris Antecessorem, postea Archiepiscopum Panormitanum, audiit; cui non obscuram id temporis celebritatem nominis florentissima juris doctrinae laus, ac mira eruditio apud omnes conciverat. Erat autem in adolescentulo docilitas ingenii summa, ut non solum celeriter acciperet quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret, qua ex re condiscipulos ingenio tardiores ad sui aemulationem excitavit. Hoc vero severioris juris scientiae

stadium, dulcissima cum amoeniorum studiorum, ac antiquitatis conjunctione decurrit. Matheseos Praeceptores habuit Marium Lamium, & Nicolaum germanum fratrem suum, viros in mathematicis disciplinis exercitatissimos. In ea tantum progressum fecit, ut nihil neque de synthetica, neque de analytica, aut sublimiori mathesi incognitum ei fuerit, ac talis in ea fuit, qualem cognitum judicarunt vel ex iis, quae tertio Picturarum tomo de Solari horologio pernae figuram praeseferente, subtiliter ac copiose ex Astronomiae praeceptis artisque Gnomonicae regulis edisseruit. Ventilatis enim aliorum, qui insana quadam festinatione abrepti praepropere eodem de argumento disputaverant, opinionibus, suas deinde explicationes magna rationum copia, & mira animi moderatione ob oculos infert. Atque utinam licuisset inter infinitas occupationes idoneum tempus aliquod nancisci studiis obsequendi suis (hac enim semper usus est fortuna, ut quod minime omnium vellet, in hoc unice esse premeretur) certe rem literariam novis auctibus de cubi duplicatione locupletasset, quorum non-

niſi adumbratam quamdam imaginem habere indolemus. In his autem dum adolescens detinebatur, per se, ne tantulum deperiret temporis, in Graecis literis multum studii insumebat eo successu, quod fere omnes Graecos auctores diligentissime perlegerit, & quamplurima eorum testimonia memoriter habuerit; tantamque concinnitatem, ac suavitatem in illis interpretandis, celeritatemque ex usu comparaverit, quantam innumera prae aliis in enucleandis veteris Herculanei monumentis Anthologiae epigrammata, mira felicitate Italice reddita, declarant. Philosophiae porro vacavit methodo, ut tum erant tempora, Chartesiana tractatae; & si quod erat taedium, quo inter bonas musas adolescens educatus illa studia fastidiebat, Graecis Aristoteleis deliciis, quas unice dum vixit adamavit, maxime fefellit. Qua in 'disciplina nullum audiit praeceptorem, ac quidquid didicerit, id industriae suae totum acceptum referebat; nisi quod saepe dicere auditus est, de infelicissima illa temporum conditione conquestus, cum his disciplinis operam daret, Honuphrium Roseti Arithmeticas Wolfii In-

stitutiones veluti amoenioris notae librum, qui maxime adolescentem recrearet, ei legendas obtulisse. Theologicas etiam disciplinas didicit, in quibus F. Pio Milantio, clarissimo tunc temporis magistro, postea Episcopo Stabiensum, operam dedit, sed quas brevi temporis intervallo contractas acceperat institutiones per se maxime fovit, promovitque; at tunc, cum Juri Canonico incumberet, perfecit quod post apparuit, ut genuinam Canonum intelligentiam assecutus, conatus eorum, qui nimis audacter insurgerent in Regia jura, compresserit. Attigit quoque medicinam, credimus ne ejus esset expers utilitatis; ita ut si quo morbo afflictaretur, medici, qui affectae valetudini opem ferebant, maximam ex ejus colloquio voluptatem percipientes admirarentur, tantas res longe inter se dissitas tam egregie potuisse illum comparare. Postea vero ex ditissima Hebraearum, Graecarum, Latinarumque rerum supellectili quam diuturno labore, industria singulari, ac inflammata discendi cupiditate conquisierat, ad illam literaturae sublimitatem adsurrexit, quam declarant tum dissertationes

nonnullae amoeniore eruditione plenissimae; quibus res prope singulares pro sua parte studuit exornare; tum laetissima, quae lusit carmina, in quibus scribendi Veneres Catullianas, pari cum doctrinae laude conjunctas, demirere; quae maximam partem vel edax nobis invidit tempus, vel amicorum laudi, aut honori inserviens, illis commodavit. Horum nonnulla publice etiam sunt acta, quae summa animi voluptate Metastasius perlegit, probavitque; quaeque illum ad majorem hujus admirationem excitassent, si meliore usus fortuna, veluti in libertatem assertus, per se, quod maxime vellet, exarare potuisset. In his dum esset, perhonorificis literis in antiquissimam Consentinam Academiam adlegitur *Micaei* nomine insignitus. Haec quidem jam inde a Jani Parrhasii temporibus, viris doctrina, ac omnigena eruditione nobilitatis floruit, & ab Archiepiscopo Constantio, optime de illa merito, *Constantium* Academia audiit. Annum agens XXI. Dominico fratre, animae suae parte altera, orbatus est, cujus, dum vixit, non sine desiderio meminerat. Defuncto fratre, licet humaniori literaturae se

mancipaverit, in foro tamen esse coepit, ac in Jurisprudentia tantum profecit, quantum innumerae caussae elegantissimis sententiis scriptae, aut editae demonstrant. Atque in hoc illud inprimis fuit mirabile, quum octodecim horarum spatio non interrupto, incredibili dicendi vi, ac mira ingenii celeritate jucundissime pro & in Tabellionem Nicolaum Spallonium, alter veluti Carneades, caussam conscripserit. Quas vero graves caussas, & an ullas pro concione dixerit, ignoratur; nisi quod dicere fuerit solitus, se quidquid domi comparasset, in amicorum gratiam elaborasse; sinistro enim quodam fato factum fuit, ut si in publicum prodiret, animo statim caderet. Quam quidem δυσωπίαν non temere institutae a pueris vitae rationi imputamus. Itaque domi se perpetuo retinuit, in bibliotheca sedens, multis circumfusus libris: erat enim in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat, ita ut quasi helluo librorum, si hoc verbo in re tam praeclara utendum est, videretur. Hoc in secessu Graecae Latinaeque Archaeologiae sedulo vacavit, exoticarum linguarum, quas summa ani-

mi contentione didicit, auxilio. Porro optimis disciplinis, ac gravioribus, politicis studiis ad majora Reipublicae munia se comparavit; domo ita semper abditus, ut nec quemquam unquam adiverit; semperque, quoad vixit, vix domi conveniri passus fuerit ab iis, quibuscum a condiscipulatu conjunctissime vixit. Hic tum forte Hieronymus Pandolfellius, Marchionis Trapani filiaster, vir summe philosophus, ac non poenitendus philologus, egregius & jurisconsultus, nonnullis aequalibus omnino a literatura non alienis auctor fuit, ut nova *AEmulorum* Academia constitueretur, quorum in numero prae reliquis fuere Martorellius, Marchitellius, Oriminius, Berardus, & Ferdinandus Galiani Fratres, aliique in penitioribus studiis subacti, qui aliquid de antiquitate, vel jurisprudentia per vices patria lingua conscriberent. Huc invitatus etiam est Paschalis. Sed flectere illum minime valuissent, ut inter illos adlegi pateretur, nisi unus omnino Ferdinandus Galianus, vir non minus optimis artibus eruditus, quam ingenii praestantia, & amoenitate spectatissimus, amicitia ac auctoritate

sua id praestitisset. Annos itaque natus unum & xx. illuc accitus est: quae res omnium conlegarum animos exhilaravit. Hujus vero modestia diutius heic defatigata, dissertationes novis de argumentis pro more pronunciavit, in quibus rerum ordo, & judicii maturitas comparet, multa doctrina; tanta enim perspicuitate, & exquisitissimo verborum delectu graviores naturae caussas exponit, profundaque Philosophiae contemplatione Metaphysicas subtilitates deducit, quae manifesto evincunt, qualis in ea fuisset futurus, ni quid ipsum aliud ex alio divertisset. Harum nonnisi quinque supersunt, quarum ne Praesidenti quidem Pandolfellio copiam commodasset, nisi Academiae statuta id maxime efflagitarent. Maxime autem Carminum Ciccarellium elegantioris, subitaeque poeseos studiosissimum, nonnulla Italica poemata, quae inter Academicos recitavit, recrearunt. A quorum lectione adeo se jucunde, vehementerque raptum esse sensit, ut graviter affirmaret, nihil dulcius illis esse posse, quibus nonnihil sapiant poeticae suavitates. Interim Serenissimus Carolus III. tunc temporis Siciliarum,

Digitized by Google

nunc Hispaniarum Rex, literatorum hominum numen praesentissimum, ad artes optimas, ac liberalia studia juvanda incitatissimus majorem alacritatem, celeritatemque in enucleandis, inlustrandisque monumentis, quae ex veteris Herculanei effossionibus nuper extracta, omnium vota excesserant, Europam, ac Regem ipsum extulerant, qui sumptus ex vero regios in illud eruderandum insumpserat, excitare sategit. Quare Tanusio recta demandat, ut eruditissimi quique illius aevi viri summa cura, ac diligentia seligerentur, qui maximo cum Archaeologiae foenore omnem operam, industriam, laboremque in illa conferrent. Quod nobili evento comprobatum est. Mirandum sane opus, ac Carolo dignum, in quo stupendae artis decus cum penitioris eruditionis segete certat! Heic a Tanusio, qui quantum acumine ingenii valeret, si usquam alias, hic quidem certe patefecit, XV. viri totidem rei literariae decora delecti, qui statis diebus convenirent, productos a se foetus expondituri. Ac ne quod optimis legibus instituerat, non perfecisse videretur, in Franciscum Vallettam oculos conjecit, cui ve-

luti Scribae perpetuo hujus Herculanensis Academiae, quae quis pro re nata intulisset, digerenda committeret. Verum Valletta senio confectus, & viribus prope collapsis ab eo munere avocatur. Hinc in Paschalem, quem Tanusius sibi adjunxerat, ac a foro in regia Scrinia, quo plus otii foret iis rebus perficiendis, evocaverat, totum id oneris refunditur, ut eodem styli tenore, quam quisque materiam congesserat, exornaret, elimatamque disponeret. Heic Paschalis, qui aegerrime tulerat a Rege Academicum fuisse renuntiatum per regios codicillos decimo sexto Kalendas Januarias Anni MDCCLV. hanc delatam sibi fuisse provinciam gravate quantum habuerit, incredibile est. Praeter enim quam quod a delatis honoribus, vel dignitatibus maximopere abhorreret, tum illud veritus est, ne a suo secessu ea muneris perfunctione divelleretur. Quocirca imparem se tanto oneri fassus, vacationem ab ea impetrare contendebat. Quum id vero non potuisset pro Tanusii dignitate, proque Targiani pristina amicitia, qui hominem adoritur, expugnatque, factum est, ut non amplius restiterit. Quo

in munere obeundo illud maximopere mirandum fuit, quod is cui ne respirandi quidem idoneum tempus suppeteret, adeo promptus, ac copiosus operi sufficeret, perinde ac expeditissimus, ac admodum a negotiis vacuus esset. Hujusmodi autem spartam assecutus ad unum atque alterum omnino Picturarum tomum hoc negotium ita transactum est, quamdiu scilicet congressiones illae viguere. At sane ex eo tempore, cum virorum illorum dissociati penitus coetus essent; nam Tanusius hujus Academiae Praeses meritissimus, qui maximum magistratum obtinebat, innumeris gravioribus curis distractus, illis interesse satis non habebat; ipse unus tanto prope intolerabili oneri accurrit, licet aliae ex aliis in diem ingruerent curae, ac reliqua tria Picturarum, nec non aeneorum monumentorum duo volumina mira felicitate, ac labore quanto maximo concinnata ad extremum vitae spiritum perduxit, non sine literatorum hominum totius Europae miraculo. Jamque typothetarum manus experiebatur nonum de lucernis & candelabris, licet infirmo corpori vires non sufficerent. Sed inchoatum jam &

bona

Digitized by Google

bona ex parte elaboratum, nobis fata inviderunt; ac nihil aliud quam undeviginti hujus tabulas praelo commissas non sine ingenti animi dolore, dimidiatum opus, nec facile ab omnibus perficiendum, habere ingemiscimus; maxime si ex mira illa felicitate, quam ex usu sibi comparaverat, metimur. Tanta enim celeritate utebatur, ut per subsecivas horas ad illud conscribendum veluti ad laborum levamen, quod aliis certe curarum summa fuisset, se contulerit. Qua ex re cum omnes admirarentur hominem perennibus politicis distentum occupationibus, laboriosissimas stupenda eruditione plenas adnotationes ad Herculanensium monumentorum illustrationem conferre, quod vix esset credendum; maledici tanto viro deesse non potuerunt. Obtrectatores enim nonnulli eodem solo nati, invidia laudem virtutis ut obtererent, illum numquam hujus operis auctorem extitisse praedicarunt. Sed multorum obtrectationem devicit unius virtus. Ipse enim istorum audaciam, qui in eo laedendo se aliquam consecuturos sperabant utilitatem, non modo non coercuit, sed sprevit; quin etiam (quis cre-

deret?) tantum ab aucupanda gloria editorum voluminum Herculanensium abfuit, ut plane numquam se fuisse auctorem cuiquam dilucide, ac citra tergiversationem aperuerit. Sed qui praesens meritas praedicationes aversatus est, absens prohibere non potuit; nam quantum laudis illi ex hac re pervenerit, vel ex eo est intelligere, quod exteri quique huc convenientes, propter eximiam nominis gloriam, cum illo colloqui cuperent, ac ejus formam cognoscere studerent, qualis esset, quem tanti operis auctorem absentes fuerint admirati; majoresque sui praecones nactus fuisset, nisi tanti viri modestia, ac austerior institutae vitae ratio id omnino prohibuisset. Absentes vero quem numquam noverunt adamarunt; ac eum praestantem veluti Herculanearum rerum interpretem adivere. Forte enim inter Herculanei eruderata marmora, quaedam in Isiacae aedis foribus inscriptio eruta est, de reparata Isidis terraemotu collapsa aede a Numerio Popidio, *cum esset annorum sexs*. Hanc pro modulo quisque suo tum nostri, tum exteri homines interpretari conati sunt; quorum in numero Geor-

gius Henricus Martini Lipsienſis Scholae ad Divum Nicolaum Rector literarum laude florentiſſimus. Hic commentarium in eam pari eruditione, ac critice conſcripſerat, in quo plura praeſertim de vocula *sexs*, quae non paucas cierat turbas, copioſe diſſeruerat. Hunc dono Paſchali mittit, datis ad eum elegantibus literis, quibus viri emunctae naris, cui proprio quodam jure componendae hujus motae litis actio competeret, exquiſitum judicium accipere ſignificabat. Interea cum exteri, ac cives omnes in eo exornando commendandoque convenirent, ſtatim conſecutae ſunt Sereniſſimi Caroli III. auctori gratulationes, datis ad eum regiis codicillis, quibus ſe ex lectione illius voluminis incredibilem percepiſſe voluptatem indicabat. Regiſque largitatem exinde Paſchalis expertus eſt, annua ſibi penſione attributa, quam Rex Clementiſſimus, cum in Hiſpaniam navigaſſet florentiſſima illa Regna gubernaturus, ex ſuo aerario heic hanc illi pendi omnino voluerit. Sed veniam mihi non denegari confido, ſi tantiſper e via quaſi divertens aperiam, quid maxime Tanuſium impulerit, ut ad regia Scrinia illum

evocaret, captum hominis doctrina, fide, ac prudentia. Non solum enim vir hic πολιτικώτατος, qui probum, & apprime doctum, ac commissa sanctissime custodientem requirebat, noverat maximam moderationem animi istius & aequitatem, sed prudentiam ac commissarum sibi rerum fidem intellexerat. Forte fortuna liber editus est eruditissimus, qui maximam auctori excitaverat admirationem; omnesque cuperent noscere, quem fuerant admirati. In hunc librum contulisse aliquam literariam operam hominem nostrum non levis erat suspicio. Quare Tanusius idem sciendi studio captus, Josepho Romano integerrimo Senatori hanc curiosam inquisitionem demandat. Romanus, apud quem motae gravissimae litis actio erat de avita quadam illius domo, improvisus eum adoritur, & cum eo coram agit, quo velit commissum sibi arcanum consilium prodere. Sed frustra; nam hoc quoque ex disciplina Pythagoreorum se didicisse dixit, naturam nullam rem voluisse homini esse faciliorem, quam commissa tacere. Et quamquam magnis conditionibus ab eo invitaretur, qui omnem operam, ac

industriam ei locaturum pollicetur, quibus causa staret, abstinuit, quo minus foras erumperet arcanum, quod amico molestissimum accideret. Tantum vero abfuit, ut Romanus id aegre tulisset, quin eum perpetuo adamarit, ac ad Tanusium conversus dixerit: *Hic quidem laudabiliter peregit Chilonis illud* δυσκολον: Το τα αποῤῥητα σιωπησαι. Quibus rebus factum est, ut Tanusius tempore dato adierit ad Regem, eique, quum multa de illo omni liberali doctrina politissimo, de fide, qua commissa praesertim fideliter celaret, commemorasset, hoc adjunxit, huic uni totum Herculanensium antiquitatum onus incumbere, ac maximo studio, & diligentia singulari illis adesse. Quare ut aliqua dignitatis specie in graviora publicae rei negotia eum pertraheret, decere Regem sapientissimum, ut in regiis scriniis eum locaret. Nihil renuit Rex, ipsumque eo militatum ut veniret invitavit. Itaque hic fecit, ut vere dictum videretur: *sui cuique mores fingunt fortunam*. Tanusius igitur hunc sibi adjunxit magno studio, quod in homine fidem, & industriam magnam perspiciebat, non dubitans

magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Porro omnia, quae singularem fidem, & non poenitendam juris doctrinam exposcerent, ei jussit deferri; quae munia diligenter obeundo, fideliter administrando, sine ulla existimationis offensione ad ultimum spiritum retinuit. Heic complures annos moratus, quum rei familiari, ac sibi tantum operae daret, quantum non indiligens paterfamilias deberet, omnia reliqua tempora aut literis, aut publicae rei tribuit. Si qua enim res major acta est non defuit; sicuti Tanusio, ac dein Josepho Beccadellio in omnibus gravioribus Reipublicae negotiis operam, ac diligentiam singularem locavit. Multa hujus sunt heic praeclare facta, ac quamplurima quidem referre possemus, sed modus adhibendus est; ac satis sit sui ingenii aliquot monumenta, cum adhuc in juvenibus ageret, uno hoc in volumine concludere. Hoc specimen porro prudentiae illius, quod cum in his versaretur, ac Tanusius numquam eum a se dimiserit, cupiveritque semper secum deducere (quod non levem ei movere posset invidiam) aequalibus tamen suis unus ante

alios fuerit cariſſimus. Est enim hoc commune vitium, quin naturae potius labes quaedam, ac macula, ut invidia gloriae comes sit, & libenter de his detrahant, quos eminere altius videant. Itaque a Tanusii consuetudine, quoad ei licebat, se nolens absentabat, quod tantum se ab invidia putaret abſuturum, quantum ab illo recedere appareret. Quod quale sit facilius existimabit, qui judicare poterit, quantae sit sapientiae eorum benevolentiam retinere, cum quibus maximarum rerum sit aemulatio. Omni vero in re fide, ac gratia ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut judicari possit omnia ei cum omnibus fuisse communia. In hoc autem si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem; cum ille potius ita natura fuerit comparatus, ut perpetua naturalis ejus bonitas, vel in suos inimicos eluxerit, quae nullis casibus unquam imminuta est. Non solum enim amicos, sed etiam inimicos, quantum potuit, protexit rebus in arduis, & quibus indiguerunt, adjuvit; magnum quaestum existimans, officiosum ab his cognosci. Quos vero fortuito adversa-

Digitized by Google

rios, modo in summo essent fastigio, nactus est, non solum in summo illorum periculo non est insecutus, sed maxima animi moderatione est complexus; ac nihil aliud egit, quam ut, quibus rebus posset, esset auxilio. Quod praeclarissimum ejus facinus non pari modo probabatur ab omnibus, qui sensus ejus reprehendebant, quod parum odisse malos cives videretur. Ille autem quid par esset facere intuens, dicere fuit solitus, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum. Hoc quoque sit illius bonitatis exemplum, quod cum, quibus praesidio fuerat, subito in melius eorum conversa fortuna, immemores officiorum suorum deprehendisset, carissimos tamen illos habuerit, satis ducens neminem posse existimare eum temporis causa id fecisse; ac praestantissimum illud Ciceronis in Laelio repetebat: *meminisse debet is, in quem collatum est beneficium, non qui contulit*. Difficile esset omnia persequi. Verum illud intelligi volumus, illius heic abstinentiam ex ipsis rebus, ac temporibus judicari posse, quod non florentibus se venditarit, sed in deprecandis afflictorum pe-

riculis, aut incommodis totus fuerit. Quare licet amicis urbana officia privatus tribuerit, cum in publicum versatus est, difficillima natura fuit, ne a quoquam sua abstinentia tentaretur; ejusque asperitatem adeo quisque est veritus, ut ipsum vel adire reformidaverit. Neque vero id satis habuit, sed ne in sui muneris perfunctione existimationis ullum detrimentum faceret, graves inimicitias suscipere non renuit, aditumque petentibus conveniendi non dedit. Saepe & nactus hanc occasionem, illud Epaminondae de Mycitho adolescentulo filiis suis enarrare consuevit, satis nimirum auri & argenti, aut divitiarum orbem terrarum non habere pro patriae charitate. Qua obfirmata sui opinione, cum in dies virtutis laude cresceret, praeter gratiam, qua illum Clementissimus Rex Carolus prosequebatur, suis opibus inopiam ejus levavit. Cum enim gravi obrueretur alieno aere, nec solvendo par esset, tribus millibus centussium profusissima largitate donatus ab illo est. Hominis autem nostri integerrimae vitae quum pleraque proferre possimus testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile con-

Digitized by Google

jici poterit, quam integra fuerit illius institutae vitae ratio. Quum Regis Caroli nomine rarissima, ac prope singularia aliquot aurea numismata Pertinacis, uxorisque ejus, ac Gordiani fuissent comparata, eademque Tanusius Paschali traderet, haec negligentioris forte servi incuria clam ablata sunt. Heic ubi abrepta illa sensit, incredibile est quanta animi molestia externaretur, tantamque cepit animi aegritudinem, tum ob deperdita numismata, tum maxime veritus ne admissi criminis in se suspicio caderet, ut undecim mensium spatio, destitutione capitis laborans omnino insaniret, ac penitus insaniens periisset, ni Tanusius amici casum ac jacturam miseratus animo illum confirmasset, significassetque recuperata numismata, datis ad eum literis, ex quibus plus laudis Paschali, an Tanusio perveniat, dicere nequeo. Integritatis erit hoc satis testimonium. Tanusii literis plane recreatus, ad intermissa Regiorum scriniorum munia rediit; ac dum totus in eo esset occupatus sic, ut respirandi tempus ei deesset, ecce novam occupationem, honorificentissimam illam quidem, sed sibi affecto

jam, & mortalium impeditissimo satis superque importunam adire coactus est. Nam cum Augustissimus Rex Ferdinandus Senatum fieri censuisset ad convellendos abusus in rem Ecclesiasticam maxime ingruentes, & graviora totius publicae rei negotia expedienda, a Secretis hujus supremi Senatus ipse a Rege est destinatus; nusquam enim non illi probaverat suam operam, fidem, integritatem. Verum hic praestitutas leges propriae utilitati anteferens ab hoc exonerari a Tanusio contendit, exponens ab una eademque persona tractari utrumque munus non decere. At Tanusius illius verbis adeo non est commotus, ut potius cum Rege egerit, ut id muneris omnino huic superadderetur. Has porro sui muneris partes tanta sedulitate ac industria gessit, ut hac una distineri cura prorsus appareret. Haud multo post Tanusius senio confectus, aetatis veniam a republica gerenda impetravit, rerumque summa ad virum nobilitate generis, rebusque gestis amplissimum Josephum Beccadellium de Bononia defertur. Heic nonnulli, qui fructum oculis ex Paschalis casu capere volebant, consi-

liis clandestinis operam dabant, quibus hominem nostrum in suspicionem Beccadellio adducerent. Sed huic multo notior fuit ejus integritas vitae, honestaque dignitas, aeque ac politicae rei labor; in eoque deprehendetat quod patriae bene consuleret, amicitiaeque fidem praestiterit. Quare auctus, adjutusque ab eo, eum, quem antea, tenuit gradum; & si quid a Rege per se, vel liberis suis sibi dari postularet, Beccadellius se hujus rei obsidem perpetuo fore pollicitus est, ac fidem praestitit. Jam vero quantopere fuerit dilectus Carolo III. Hispaniarum Regi, nec non Ferdinando IV. ac Mariae Carolinae Austriacae feliciter imperantibus facile est aestimare. Horum enim munificentiam vivens cumulatissime expertus est. Dum vero ex lethali morbo laboraret, Rex praeclaro humanitatis exemplo, quod non in ultimam utrique laudem cedit, de affecta illius valetudine saepius quaesivit; ac Regina, imminente casu maxime commota, amplissimis verbis eum collaudavit, indicavitque futurum fidei, integritatis, ac literaturae desiderium. Post obitum autem illius liberi ob superstitem

patris memoriam Regis largitatem non minore munificentiae vi senserunt. Tali modo cum annos III. & LX. complesset, tantaque usus esset corporis firmitate, quantam immensi ab eo exhausti labores strenue ad ultimum vitae spiritum perducti declarant, & prosperitate valetudinis, ut annis L. medicina non indiguerit, vel multiplicium negotiorum mole, vel arduis adversae vitae rebus, vel laboriosa gravium studiorum agitatione, debilitari stomachus, haemorroides saevire, appositosque cibos non avide, ut antea, appetere, quare semel in die herbaceo victu usus est. In hoc affectae valetudinis statu cum tresdecim annos consumpsisset, media anni praeteriti aestate, haemorroidum fluxu sistente, δυσπνεια affligari coepit, mox crura ei immodice intumuere. Nactus hunc morbum initio & ipse, & medici contempserunt, nec quid diri portenti fore, ut ei obveniret, putarunt; quandoquidem anniversariam, & certo tempore recurrentem hanc valetudinem expertus fuerat, sed ope levium medicamentorum & corroborari stomachus, & crura attenuari sunt visa. Verum fastidio ciborum

Digitized by Google

increbescente, vomitione illos reddidit, ac destitutione capitis biduo laboravit: statimque gangraena erupit in pectus, quae non sine doloribus ac lamentis, quae nulli effusas non elicerent lacrymas, eum absumpsit. Hoc priusquam ei accideret, cum dolores accrescere, febres accessisse, morbique vim ingravescere sensisset, in cubitum innixus: *Cum nihil*, inquit, *quod ad sanandum me pertineret, reliqui fecerim, reliquum illud est, ut egomet gravioribus meis negotiis consulam*. Hic tum sedens, placideque ad venerationem compositus Ecclesiae Sacramenta rite suscepit, solidae Christianae pietatis non dubia praebens specimina; tantaque constantia, ac tranquillitate vultus, ut haud dubie appareret ex hac vita tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo discedere, ex dirupta vomica, filios, & conjugem luctu ac moerore insolabiliter externatos, tantique casus impatientes, paucas post horas intercluso vitae spiritu reliquit IV. Idus Novembres anni MDCCLXXXIII. Hujus de morte ut palam factum est, diem illum sic boni omnes sunt prosecuti, ut lacrymis insignem patriae ja-

ctūram, ac desiderium futurum indicarent. Elatus est comitantibus omnibus conlegis; compositus in aedicula Divi Caroli Borromaei juxta viam Toletanam. At monumentum marmoreum in nobiliori templo S. Spiritus ad Palatium nos debito in illum funeris officio functi, paullo post, venia a FF. Praedicatoribus impetrata, poni curavimus, quod affabre scalptum Josephus Sanmartinus egregius, ac diligentissimus aevi nostri statuarius elaboravit, atque amici sui memoriae gratificatus est. Eluxit quoque in Paschalem pietas Nicolai Ignarrae, qui antiquus ejus amicus, & collega vivum semper coluit, ac dilexit, e vivis ereptum hac inscripta in marmore epigraphe prosecutus est:

MEMORIAE SEMPITERNAE
PASCHALIS CARCANI
POLITICIS, AC PHILOLOGICIS STVDIIS
CVM PRIMIS COMPARANDI
VIXIT ANNOS LXII. MENS. VII.
FATO CESSIT IV. ID. NOVEMB. ANN.
MDCCLXXXIII.

Digitized by Google

HIC TVVS HIC EST PAVSILYPVS NAMQVE
ASPERA PASSO
IAM TIBI AB HERCVLEO PARTA LABORE
QVIES

Per *herculeum laborem* intellexit auctor praegrandia, atque operosissima in Herculanenses antiquitates volumina a Paschali elucubrata. Eodem etiam idem Ignarra respexit, cum in ejus effigiem in aes incisam scripsit:

FLODATA VT NITEAS TORRENTIBVS HERCLI
VESEVI
HIC PRO TE FACTVS PELLIS ET OSSA
MACET.

Et quoniam qualis in muneribus, commissique sibi muneris gradu fuerit exposui, referam nunc quae ad formam, & habitum pertinent, quibusque moribus domi, interque suos egerit a juventa usque ad supremum vitae diem. Fuit igitur brevi statura, ac nonnihil etiam imminuta ob humerorum incurvationem, colore candido, ore pleno, oculis non praegrandibus, nec tamen exiguis,

nu-

nudus capillo vertex, latus ab humeris, valetudine prospera, quamvis extremis vitae annis nimis affecta; incedebat adducto fere vultu. Circa corporis curam non morosus, sed omni diligentia munditiem non affluentem affectavit, nihilque de vestitu satis modesto, ac quotidiano cultu unquam mutavit, ita ut moris majorum summus imitator, quos diligenter habuit cognitos, in hoc etiam illorum patientiam, moderationemque referre videretur. Huic viro, quem incultum dixisses, accessit ad elegans ingenium multo nobilior animus; fautricem enim habuit naturam in tribuendis animi virtutibus. Quandoquidem comitate, facilitate, ac lepore quodam nativo aut aequavit hac in re praestantissimorum gloriam, aut excessit, nemo quidem in amicorum consessu sententiis acutior, aut crebrior ad castigatiorem vitam rite informandam, nemo leporibus, facetiisque ornatior. Licet vel natura impellente ad severiorem vitae rationem, vel multiplicium negotiorum mole minime tractabilis, difficilisque visus sit; tamen si quos asperioribus verbis insecutus est, cum iis mox de reconciliatione

egit, nec ultra quam verbis coercuit; simultates enim nunquam admisit, ut non statim eadem die deposuerit. Amicos, quos paucos habuit, mira facilitate tractavit, & constantissime, offensis etiam intervenientibus, retinuit, eosque ad amplissimos honores commendavit. Paucorum exterorum amicitia floruit; nam fuerat ita natura comparatus, ut nulli se venditaret, quin proprias ingenii vires detereret, adeo demisse de se humiliterque sentiebat. Hanc sui opinionem, mirae illius facilitatis indicem, qua omnia prosequebatur, sic dictis confirmavit, ut affirmaret, posse quemquam plenius exequi, quod ipse agere aggrederetur. Laboris ultra fidem patiens erat: licet noctes evigilaverit vel etiam valetudine laborans, ut nihil ex suis muniis omitteret, e lecto valde matutinus exsurgens animum ad literaria negotia intendebat; adeoque temporis parcus fuit, ut quo majorem otii usuram sibi pareret, quoniam propter innumeras suas occupationes minus saepe quam vellet, illa frueretur, pomeridianas horas in exquirendis, conferendisque auctorum sententiis in his rebus quas appara-

verat, tribuebat. Quod in hanc horam reservabat, ne tantulum temporis temere disperderet; quoniam, inquit, sibi molestius accidere vel unius horae spatium otiosum sic decurrere, quam animam deponere. Et cum plane a legendo, scribendoque medicorum consilio abstineretur, anagnosten adhibuit. Quamquam tenuis & oboeratus, semper abfuit a cupiditate pecuniae. Neque id fecit natura solum, sed etiam doctrina: principum enim philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut hortantibus amicis liberis suis prospicere Phocionis illud usurparet. *Si mei similes erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali, augerique luxuriam.* Quin tanta usus liberalitate est, ut benevolentiam ab omnibus exigeret. In caeteris vitae partibus fuisse contentissimum, cognitum, non auditum, praedicamus. Aedibus enim non cultu notabilibus habitavit, quas qui intraret nullum laxitatis signum videre poterat, contra plurima patientiae, ac abstinentiae. Ut plurimum animi laxandi causa nunquam pome-

ridianis ambulationibus obsecutus est; ac rarissime praecipiti jam die, antequam in regia scrinia diurni actus reliqua confectum iret, maritima concedebat. Spectaculis, vel publicis ludis numquam, quandiu vixit, interfuit, nec si prope domesticos parietes ederentur. Semel in die, ut cum abundantissime, tribus ferculis herbaceis convivatus est; neque convivii delectationem voluptate corporis magis, quam eruditis sermonibus, vel iis potissimum, quae sunt βιωφιλη metiebatur, ita ut animo magis, quam ventri simul accumbentes indulgerent. Hujus de virtutibus, vitaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias, si hujus viri dotibus, rerum gestarum amplitudini, ingeniique facultatibus par data esset humanitas, facilisque accessus, nihil ultra desiderari prorsus in hoc potuissemus, & non ille quidem major, sed multo honoratior fuisset futurus.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

ENNIO QUIRINO VISCONTIO

S. D.

Nemo profecto dubitabit maximas geri res & maximi animi ab iis, qui otio affluentes student investigare quid ad vitae commodum atque ornatum, ad publica negotia administranda, atque ad virtutem colendam inventum praeceptumque a veteribus fuerit, quique fortunae bonis sic utuntur, ut haec non libidini luxuriaeque, sed liberalitati atque beneficentiae, litterarumque incremento pateant. Neque enim ita generati a natura sumus, ut nobis solum vivamus, sed patriae & universo hominum generi, neque ut languori desidiaeque nos dedamus, cum mens discendo alatur, & videndi, inquirendi agendique exercitatione corroboretur. Ob

Digitized by Google

has laudes magni sane & clari nostra hac aetate fuerunt homines genere ac nobilitate non suarum modo civitatum, sed universae Siciliae facile primi Turris Mutii & Biscaris Principes, qui singulari Dei munere dati huic provinciae mihi fuisse videntur, ut adjutores, auctores hortatoresque essent ad illam in pristino dignitatis gradu, si fieri potuisset, restituendam. Quem vero fructum illi tulerint, si admetieris ex scriptis, quae ediderunt, non dubito, quin illi alteri primas concedas, si vero ex rebus gestis, quae ad usum reipublicae pertinent, neminem fortasse Biscaris domino superiorem pones. Admonuit vero utrumque rectorum studiorum intermissio, ut voce, exemplo, scriptis & sumptibus ad illa renovanda multos excitarent, lateque adeo manavit eorum industria, ut res Siculae, & monimenta temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum, quibus provincia illa quondam florentissima & potens abundabat, mirum in modum illustrarentur. Haec de sapientissimis viris ad memoriam posteritatis historiae mandare mihi proposui, quod utinam pro merito il-

lorum praestare possim: sed hoc moneo lectores, ut majus quiddam de illorum virtutibus, quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. Sic enim institutione & natura fuerunt formati, ut nihil ab illis unquam praetermissum fuerit, quominus sua in Deum, in patriam, in Regem & in universos homines officia prorsus constarent. Quemadmodum vero pictores tabulas suas non a vulgo, qui quid in iis vitii sit nequit judicare, laudatque saepe ea, quae non sunt laudanda, sed ab intelligentibus aestimatoribus considerari cupiunt, sic ad te, qui cunctis notitia antiquitatis, omnique eruditionis genere antecellis, has vitas mitto, ut si quid insit in iis boni, id tua auctoritate liceat defendere, si vero frustra labor susceptus est, jaceant in tenebris, ne quid per eas detrahatur summorum virorum gloriae. Tum dabis mihi hoc unum, quod non sim ex eo hominum numero, qui se ipsos nimium diligentes nihil non audent, nec unquam aeque sunt beati, quam dum volumina uno die peritura scribunt. Est etiam aliud genus hominum deterius, odio plus quam Vatiniano prosequen-

Digitized by Google

dum, qui libros totos ex commentitiis fictisque rebus contextos in vulgus spargunt, ut fucum imperitioribus faciant, & falsis & mendacibus narrationibus historiam commaculent. Atque utinam recens hujus fraudis exemplum (si verum narratur) minime Sicilia vidisset, quod, dum memoria repetimus quot sincera e tenebris eruerint antiquitatis monumenta Turris Mutii & Biscaris Domini, & quantum in iis illustrandis insudaverint, eo magis indignum, intolerandum, & prorsus execrandum videtur. Itaque si qui sunt, aut unquam futuri sint hujus furfuris homines, malum iis precabimur Catullianis versibus:

Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

Vale.

Pisis IV. *id. Junii* MDCCXCV.

GABRIEL LANCELLOTTUS CASTELLUS.

Instituenti mihi scribere de Gabriele Lancellotto Castello Turris Mutii Principe cecidit peropportune, ut ad manus meas pervenerint, quae de eo Franciscus Carellius Panormi dixit in litteratorum hominum coetu, ex quibus ea seligam, quae in rem nostram facere videntur. Is natus est Panormi XII. Kalend. Februarias an. MDCCXXVII. parentibus Carolo Hieronymo Mottae Marchione & Susanna Lilia, cui Torrettae Princeps pater erat. Didicit puer quae acuere & alere ingenium possunt, & cum ex ephebis excessisset, nactus est praeceptorem, qui ei explicaret Caesareas institutiones, quique desiderium

moveret excolendi maxime botanicen, chemiam, ceterasque physicas disciplinas. Sed iter, quod illi ineundum erat, casus patefecit. Non longe ab oppido Mottae, in quo habitare solebat, sita fuerat Halaesa vetus Hebitae colonia Graecis Latinisque litteris celebrata. Sed tota corruit horribili terraemotu, qui factus est anno DCCCXXVIII., vix ut ulla amplius vestigia illius appareant. Dum terram aratro subigebat agricola, forte fortuna invenit ducentos circiter aeneos numos, quos Domino obtulit. Hic interpretari concupivit, sed omnis eruditionis expertio doluit vehementer in patria sua peregrinus atque advena videri. Itaque quaesivit ab viris eruditissimis, qui Panormi erant, quid sibi faciendum esse censerent ad assequendam cognitionem antiquitatis, eorumque consiliis se totum in litteras Graecas atque Latinas abdidit. Vix annus tertius ab hac cohortatione effluxerat, cum de statua quadam marmorea in Halaesae agris inventa, & de reliquiis Solunti satis erudite disseruit. Post id confutandum suscepit Dominicanum hominem Hyacinthum Mariam釣Paternò, ut honorem patriae tueretur.

Nam Catanenses S. Agatham civem suam esse dicunt, Panormitani repetunt. Liberare etiam voluit schismatis suspicione Nicolaum Tedeschium Cardinalem, & de omnibus Purpuratis, quos Romana Ecclesia habuit a' Sicilia, diligenter narravit. Haec levia putabis, si conferes cum historia Halaesae, quam Panormi edidit, cum complesset nondum XXVI. aetatis annum. Quo in loco sita, & a quo primum condita fuerit, quot naturae & artis abundaverit ornamentis, quamdiu aequis floruerit legibus, vel postquam sponte se Romanis dediderat, quot mala ab iniquissimo omnium Praetore Verre sustinuerit, quibus honoribus Ciceronem affecerit, & quo modo demum libertatem amiserit, & in municipiorum numero sub Augusto esse coeperit, multis allatis testimoniis ac monumentis, explicat. In summa tamen ubertate eruditionis inest luxuries quaedam, quae stylo depascenda erat, idque Auctor ipse postea sensit, qui juvenili redundantiae ignoscendum dicebat. Hac in re adeo se emendavit, ut in iis quae matura aetate scripsit, longiorem orationem omnes fere desiderare videantur. Gra-

Digitized by Google

tulabatur sibi, quod domi suae aurum, ut ipse ajebat, nasceretur (& sane omni auro pretiosiora reputabat monumenta antiquitatis) quodque ea esset universae Siciliae felicitas, ut quacumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponamus. Panormitani vel ab eo fortasse tempore, quo Panvinius ad eos venerat, de colligendis marmoreis inscriptionibus cogitarunt, quae ut concinne distribuerentur in ipsius Curiae atrio, Gabrieli mandatum fuit. Neque hoc solum fecit, secatis ipsarum basibus, sed de iis vulgandis explicandisque alacri animo onus in se recepit, quod & praestitit, edito an. MDCCLXII. opere, quo nihil ad laudem veterum Panormitanorum illiustrius. Simul ac objiciebatur illi species aliqua, in qua antiquitatis effigies apparebat, toto in illam ferebatur animo, adeptam, ut jam aliquid diu concupitum studiosissime conservabat, quaerebatque diligentissime unde concreta, & quo modo facta, quibus destinata usibus, quid recordaretur, omnia non solum rerum ipsarum, sed etiam verborum vestigia persequens. In quo eo magis sibi elaborandum esse putabat, quod

erant libri de Siculis monumentis inconsiderate scripti: ab optimis quidem viris, sed non satis eruditis. Neque ferendum putabat, quod Germanus homo Gualterius in alienam messem manum intulerit, Siculas inscriptiones non satis perite & ordinate explicans, gloriansque posse se in eo reprehendere Siculas omnes civitates, in quo olim Syracusa a Cicerone ob detectum a se Archimedis sepulcrum reprehensa fuit; nobilissimam Graeciae civitatem, quondam etiam doctissimam sui civis unius acutissimi monumentum ignorasse, nisi ab homine Arpinate didicisset. Hi erant Gabrieli laborum stimuli, & quo liberius antiquitatis studiis vacaret, omnem rei domesticae curam Annae Mariae *Lo Faso* uxori carissimae, virtutibus ac nobilitate suae civitatis facile primae commisit. Is profecto usuram longi temporis, quo caruit Sicilia doctis antiquitatis explicatoribus, sarcivit praestantia operis, quod an. MDCCLXIX. Panormi vulgavit cum hoc titulo: *Siciliae & objacentium Insularum veterum inscriptionum nova collectio cum prolegomenis & notis illustrata &c.* Liber iste, quo Gabriel omnem

Digitized by Google

fere rerum illustriorum, quae ad Siciliam pertinebant, memoriam breviter complexus est, non solum habet inscriptiones ab aliis vulgatas, mendisque expurgatas, verum etiam complures novas cum copiosissimis indicibus Scaligeriano more confectis, & prolegomenis omni reconditioris eruditionis genere refertis. Ex eo apparet qui sermo fuerit veterum Siculorum, qui etsi lingua Dorica vulgo uterentur, Jonicam & Atticam prorsus non respuere ob societatem, quam habuerunt cum coloniis Chalcidensibus, Nasso, Catana, Leontio, Messana, Tauromunio, aliisque, quibus omnibus suam propriam dialectum, allatis monumentis, Gabriel assignavit. Quomodo autem ex his omnibus dialectis & locutione tota propria Siculorum effluxerit lingua impolita atque rudis, non minus erudite probat. Pluribus disserit de Palaeographia Siculorum Graece loquentium, & de ratione, qua variae urbes tempora signabant, & quae propria fuit Segestanorum, difficiles adeo explicatus habere judicarunt Havercampus & Petrus Burmannus, ut de ea invenienda desperaverint. Nihil erat reconditum, quod feliciter non

scrutatus sit Gabriel, cui amplam segetem & materiem disserendi dederunt inscriptiones, quibus Agrigentini & Melitenses jura amicitiae & hospitii Demetrio Syracusano concessere, quibus Geloi oleam coronam Heraclidi Zopyri filio, & Gymnasii Rectori cum praeconio decreverunt, quibusque demum (longum enim esset illustriores recensere) historia & jura Gymnasii Tauromunii exponuntur. Opus istud sic avide exceperunt eruditi omnes, ut cum deessent exemplaria Typographo, de illo iterum edendo non sine corollario curam Auctor susceperit. Ne autem citius an. MDCCLXXXIV. rursus prodierit in lucem, caussa fuit diuturnus & periculosus morbus, quo conflictatus est. Vel antequam illa ederet, exhortationem emiserat ad Siculos suos (1) ut eos excitaret ad omnes Provinciae antiquitates, partitis operibus, illustrandas. Hoc patriae gloriosum, utile litteris & artibus,

(1) Idea di un Tesoro che contenga una generale raccolta delle Antichità di Sicilia. *Extat in Vol.* VIII. degli Opuscoli di Autori Siciliani.

gratum Regi, jucundum delectationisque plenum ipsis investigatoribus fore demonstrat. Sed nulli vel inertia, vel difficultate rei ejus consiliis aures aperuerunt, quanquam se ducem omnibus praebuerit, cum sibi assumpsisset interpretationem inscriptionum atque numismatum. Transactis jam suis partibus in eo, quod ad inscriptiones pertinebat, accessit ad numismata, artem adhibens, quae res dissolutas divulsasque conglutinaret, & ratione quadam disponeret. Quo munus erat difficilius, eo dedit clariora indicia prudentiae, acuminis atque doctrinae. Jam ante hoc tempus de numis Siciliae libros ediderant Philippus Paruta & Sigebertus Havercampus, sequens hic ordinem, quem ille tenuerat. Atque hic ipse non ornaverat modo, sed etiam oneraverat explicationes suas omni eruditionis genere, sed cum minime vidisset quid esset satis, ornamenta magis, quam rem & veritatem quaesiisse videtur. Contra ea Paruta inornatus omnino esse voluit, & quia minime expers erat eruditionis, ut et pollebat judicio & dictionis elegantia, ex eo colligere nonnulli illius laudis cupidi se posse

pu-

putarunt periisse scripta, in quae suas retulerat interpretationes. Cum hos nominaverim, minime necesse est mentionem facere Petri Carrerae, Augustini Invegesii & Vincentii Mirabellae, quorum scripta somniorum plena nullius pretii nunc esse putantur. Laudem tamen aliquam collegit Petrus Burmannus, cum Siculos numos, quos Philippus Orvillius possidebat, explicasset, ejusque opus editum an. MDCCLXIV. dignum habitum est, quod Regi ipsi nuncuparetur. Vidit Gabriel quid in scriptoribus his deesset, & multa, & magna, & difficilia esse ea, quae sunt explicatori antiquitatis necessaria, ut ejus industriam in plura studia distrahi nollet. Quare ad id, quod cupiebat, assequendum omnem suam curam atque operam contulit. Prorsus currenti calcaria adhibuisse dixeris utriusque Siciliae Regem, & quem principem consilii habebat Bernardum Tanuccium, cum jussissent ferri expensam regio aerario pecuniam magni operis impressioni necessariam. In lucem illud venit Panormi an. MDCCLXXXI. cum hoc titulo: *Siciliae populorum & Urbium, Regum quoque & Tyrannorum veteres nummi Saracenorum*

epocham antecedentes. Huic addita postea corollaria fuerunt numorum minime vulgatorum, nec quisquam fuit, qui si jam sibi ediscendum aliquid putasset de numis Siciliae, non maluisset librum hunc, quam ceteros omnes consulere (1). Quanquam minime

---

(1) *Non aliter sane se fecisse ait Joseph Eckel, cum sibi agendum esset de numis Siciliae in vol. I. operis, quod inscribitur: Doctrina numorum veterum, quo in loco haec de Gabriele scripsit*. Nostra aetate de numis Siculis plurimum promeritus est Gabriel Lancillotus Princeps Turris Mutiae, qui non modo inde a pluribus annis quinque opusculis, quae *aggiunte alla Sicilia numismatica di Paruta* appellavit, veterum in edendis numis Siculis sphalmata correxit, sed novas etiam accessiones addidit, quas longus in patria usus docuerat, praeclaris animadversionibus nobiscum communicavit, ac postremo Siculos numos omnes hactenus cognitos Tabulis CVII. complexus est in opere... Insignibus his Principis indefessi conatibus si respondisset chalcographi adcuratio, qui saepe

tacendum est vel illa, quae nondum satis erant illustrata litteris, Gabrielem sobrie adeo tractasse, ut non apud indoctos imperitosque hujus artis, sed apud eos, qui vere antistites nominari potuissent, dixisse videretur. Quare si qui futuri sunt, qui operi aliquid addere se posse putent, nullus certe erit, qui aliquid de eo detrahere se posse speret. Multae & magnificae res constructae & reconditae in illo comparent, omnes tota veritate perpenduntur, illustrantur, auctoritatibus, exemplis confirmantur. Novae proferuntur civitates, quos situs, quae flumina, quam fortunam, quos dominos, quas leges habuerint, quos homines gloria claros tulerint, quae foedera inter se

cum inscriptiones, tum typos propalam pervertit, & si in ipsis tabulis discreti fuissent numi, quorum ipse archetypa vidit, ab iis, qui sibi e Goltzio & Paruta, de quorum fide non raro dubitat, fuere cogniti, nihil esset quod ad Siciliae numismaticae perfectionem amplius possemus desiderare.

percuſſerint, exponitur; omnino hiſtoria, geographia, arteſque illae, quae ad graphicen pertinent, in quibus longe ceteris excelluere veteres Siculi, per hominem, quem nuntium antiquitatis facile dixeris, tantam lucem accipiunt, ut terram illam oculis luſtraſſe, & cum hominibus illis habitaſſe videatur. Maximi huic operi tributi ſunt plauſus, & cum loco excelſo & illuſtri ſita jam eſſet auctoris laus, de omni antiquitate conſulebatur vel ab iis, qui peritiſſimi putabantur. Nemo vero vel mediocriter doctus ad Siciliam appellebat, qui eum videre & alloqui non concupiſceret, neminemque janitor ab aedibus illius abſterrebat. Noviſſes hominem ſuaviloquenti ore omnes appellantem, nil occultantem earum rerum, quas ſingulari diligentia & induſtria ſibi comparaverat, ad humanitatem ſocietatemque generis humani omnino factum, modeſtum, frugi, ſupra quam credibile eſt patriae amantem, ut in illum convenire viderentur Enniani illi verſus:

. . . . . is dictus ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi.

Quanquam neque honores sitiret, neque desideraret gloriam, non caruit tamen Senatu, non caruit publico. Curam gessit Panormitani Lycei, cui praesertim consulendum fuit, postquam Jesuitae Regno expulsi fuere. Sua quoque liberalitate illius decus auxit, cum ornasset statuis botanices scholam, & magnam selectissimorum librorum copiam, quos amores suos appellare solebat, bibliothecae legasset. Cujus liberalitatis quale praemium fuerit, ex inscriptione ejus imagini positae, quam infra subjiciemus (1), apparebit. Praefuit etiam

---

(1) *Gabrieli Lancellotto Castello Principi Turris Mutii, Triumviro Literario, qui patriis ex omni genere vetustis monumentis summa diligentia conquisitis, mira eruditione illustratis Siciliae gloriam auxit, longeque propagavit, suis insuper lectissimis libris R. huic bibliothecae ex testamento legatis, de re literarum publica, deque patria optime meruit, civi incomparabili, annuente Ferdinando D. N. indulgentissimo ex annuo ejusdem Bibliothecae censu monumentum Anno* CIƆIƆCCVIIC.

Digitized by Google

cum aliis primariis viris nosocomio, pauperum hospitio, officinae monetariae, & pignoratitiae, & quae majorum instituta fuerint in his condendis administrandisque muneribus litteris mandavit. Sed praesertim dimanarunt ad existimationem hominum, quae de officinis monetariis Siciliae, deque numis ab illis cusis exposuit; nam eo in scripto omnem fere civilem illius Regni historiam breviter complexus est. Ex omnibus vero mandatis, quae patriae caussa executus est, nullum jucundius fuit curatione veterum aedificiorum, quo factum est, ut illi praesertim debeamus, quod ex edacis temporis injuriis servata fuerunt Templa Segestae & Agrigenti, reliquiae Selinunti, laconicum, hypocausta, & hypogea Panormi. In his autem aedificiis, monumentis sane amplissimis dignitatis & potentiae Siculorum restaurandis etiam atque etiam vidit, ne quid recentis operis adderetur, utque omni ex parte, quantum fieri poterat, veterem formam retinerent. Cum omni munere amplissimo in civitate gloriose functus fuisset, & pervagata jam esset fama multorum & magnorum ejus in patriam, & in litteras meri-

torum, & illa quoque laetitia gestiret, quod suum nomen inscriptum erat in albo Academicorum Londinensium & Parisiensium, quibus proposita est explicatio veterum monumentorum, omnesque horum studiorum cultores in illo honorando certarent, atque demum ita viveret in sinu familiae suae, ut in hac nil nisi amicum & dulce, castum & religiosum resonaret, sane non video quis illo potuerit esse beatior. Mors vitae respondit: fuit enim tranquillissima ac placido simillima somno. Extrema verba, quibus lacrymantes liberos, uxorem & nurum allocutus est fuerunt: brevi vos, ut spero, in caelo revisam. Sic plenus spei bonae, quia innocentissime, & plane christiane vel ab ineunte aetate vixerat, ex hac vita migravit III. Kal. Martias an. MDCCXCIV.

OPERA EDITA.

Dissertazione sopra una statua di marmo trovata nelle campagne di Alesa: Palermo *1749*. in 8.

Lettera su gli avanzi di Solunto.

Osservazioni critiche sopra un libro stampato in Catania nel 1747. esposte in una lettera da un Pastor Arcade ad un Accademico Etrusco; Roma nella stamperia Bernabò e Lazzerini *1749*. in 4.

Lettera, in cui si difende il legittimo Cardinalato di Niccolò Tedeschi: *Extat in vol.* 1. delle memorie per servire alla Storia Letteraria della Sicilia, *quo in loco extat etiam*

Nota de' Cardinali di Nazione Siciliana.

Storia di Alesa antica città di Sicilia col rapporto de' suoi più insigni monumenti, statue, medaglie, iscrizioni &c. Raccolta da Selinunte Drogonteo Pastore Arcade e Socio Colombario di Firenze: Palermo 1753. in 4.

Inscrizioni Palermitane: Palermo 1762. in fol.

Siciliae & objacentium Insularum veterum inscriptionum nova collectio cum prolegomenis & notis illustrata &c. Panormi *1769*.

Idea di un Tesoro, che contenga una Generale raccolta delle Antichità di Sicilia. *Extat in vol. VIII.* degli opuscoli d'Autori Siciliani. *In volumina vero XI. XII. XIII. XIV. & XV. hujus ipsius collectionis retulit Gabriel, quae ad*

rem numismaticam pertinebant, aut emendans Havercampum, aut nova proferens. Demum in lucem emisit opus omnium maximum cum hoc titulo :

Siciliae Populorum & Urbium, Regum quoque & Tyrannorum veteres nummi Saracenorum epocham antecedentes: Panormi typis Regiis 1781. in fol. *Supplementa bina hujus operis vulgavit an. 1789. & 1791.*

Notizia dell' origine, fondazione ed instituto della compagnia de' Bianchi della città di Palermo: 1766.

Notizia storica della fondazione e progresso dell' albergo Generale de' poveri. Palermo 1772.

Memoria delle zecche di Sicilia, e delle monete in esse in varj tempi coniate. *Extat in vol. XVI.* degli opuscoli d' Autori Siciliani.

IGNATIUS PATERNO'
CASTELLUS.

Nullus sane Lancellotto Castello, patriae & provinciae amore, studiorum & morum similitudine, rerumque gestarum gloria conjunctior fuisse videtur Ignatio Paternò Castello Biscaris Principe, de quo nunc dicemus. Natus est antiquissima & diti familia Catanae an. MDCCXIX., quo tempore tota Sicilia in maximis turbinibus ac fluctibus versabatur. Cum vehementer consilio, studio, labore, gratia ejus pater Vincentius de patriae salute & commodis niteretur, puerum sic educandum curavit, ut aliquando ei futurus esset ornamento. Panormi in collegio nobilium, quod tum pri-

mum institutum fuerat, regebantque Theatini, audivit Jo. Felicem Palesium Patavinum & Antonium Mariam Vallesium Senensem homines litterarum scientia & eloquendi elegantia clarissimos, qui ejus ingenium ad poesim praesertim factum mirum in modum aluerunt. Hujus testimonium dedit, cum laudes celebrasset Caroli Borbonii Regis, quando is ad regni gubernacula vocatus est. Praeteritorum malorum recordatio, praesentis temporis felicitas, futuri providentia poemate sane dignae erant, in quo contexendo gravis, ingeniosus, & satis artis peritus Ignatius apparuit. Majora hic etiam spectavit ex eo tempore, quo litteras colere coepit. Ex tenebris enim, in quibus calamitatibus obruti diu jacebant cives sui, in lucem eos revocare sibi proposuit, qua in re mirificum adjutorem habuit urbis Episcopum Salvatorem Ventimiliam, atque tantorum virorum opera sane factum est, ut Catanae quondam florentissimae urbis optima studia vigerent, atque in honore essent. Patre interea orbatus an. MDCCXLII. uxorem duxit Annam Mariam Bonanniam primariam feminam, Podii Regalis Principis filiam, & octo

post annos iter Italicum suscepit, non ut curiose lustraret terras, sed ut instrueret se se multarum rerum notitia, quas frustra in patria quaesiisset. Multa antiquitatis monumenta collegit, in illustrium virorum familiaritatem se insinuavit, editos libros & manu scriptos codices sibi comparavit, & cetera hujusmodi plura, ut industriae subsidia, & instrumenta graviorum artium ad cives suos deferret. Contemplabatur etiam diligentissime infinitam rerum naturalium varietatem, & redux in patriam huic studio praesertim operam dedit, physices ac geometriae sibi comparatis subsidiis. Inerat natura philosophia in hujus viri mente quaedam, quare nunquam inquirere cessabat quid in quaque re verum sincerumque esset, tantumque dabat considerationi naturae, ut virtutis colendae, Deique sapientiae bonitatisque & noscendae & suspiciendae disciplinam meliorem reperiret nullam. Quare erat ei suavissimum pabulum intentissimis oculis observare, quod mare & terra ferunt, in montium viscera penetrare, ad gurgites & voragines Aetnae propius accedere, lapides, metalla, stirpes, herbas, harumque na-

turas, caussas & rationes scrutari, animantium fere omnium ortus, victus, mores, ac figuras investigare, tumque se beatum putavit, cum hujusmodi rerum rariorum tantam copiam domi suae congregasset, ordinavissetque, ut non tam domui ipsi, quam civitati esset ornamento, multosque inflammaret ad hujus disciplinae cognitionem assequendam. Nulla solemnior dies fuit illa, qua commodo civium museum suum aperuit, eosque invitavit ad condendam Academiam, cui nomen dedit *Aetneorum*, quaeque in contemplatione investigationeque rerum naturalium unice occuparetur. Multi re nova caluerunt, sed postmodum friguerunt, quanquam in suo studio nunquam Ignatius cessaverit. Possidebat ipse praedia pulchra & fructuosa, deque rebus rusticis saepe diserte disserebat, ut probaret omnibus nihil esse agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Nec dictis modo, sed etiam exemplo cunctis ipse praeibat, cum diligentissimus fuisset in procurando, ut praedia sua non segetibus solum, & pratis, & vineis, & arbustis laetissima essent, sed pomariis etiam, & hor-

tis, tum pecudum pastu, & apum examinibus, tum fructuum omnium varietate. Illud quoque sibi laetandum esse jure vidit, quod multos excitaverit ad antiquitatis studia colenda, quae quidem maxime conveniebant Catanensibus, apud quos extabant munimenta plurima veteris dignitatis atque potentiae. Sed haec hominum incuria & barbaries, terrae motus, incendia visque tempestatum (nam quot quantas & quam incredibiles calamitates universa Sicilia perpessa est?) aut everterant, aut occultaverant, sic ut nonnulli dubitarent, an vere extarent. Quid non egit Ignatius, quot non fecit sumptus, ut illa in apricum proferret? Favit illi fortuna, cum theatrum, odeum, amphitheatrum, forum, basilicam, thermas, aquae ductus, templorum reliquias, sepulcra plurima detexisset, atque in his inscriptiones, anaglypta, statuarum fragmenta, columnas & alia hujusmodi plura, quae declarant quantum omni genere ornamentorum civitas illa quondam floruerit. Quot quantaque haec essent exposuit ipse, cum an. MDCCLXXI. librum emisisset ad interpretandam inscriptionem coram se in excavando theatro anno ante re-

pertam, quae est hujusmodi: VERNANTIBVS SAECVLIS DDD NNN GENIO SPLENDIDAE VRBIS CATINAE FACVNDVS PORFYRIVS MYNATIDIVS VC. CONS EIVSDIM. Hanc exaratam fuisse probat post Constantini mortem, ejusque filiis *tribus Dominis nostris* (sic enim siglas illas interpretatur) consecratam, quibus imperantibus, vernantia saecula floruisse assentatorie dictum est. Rationem etiam reddidit, quare Catana splendidae nomine aliisque titulis honorificentissimis decorata fuerit; quare iis temporibus, quibus Christiana religio jam dominabatur, retinuerit Genium suum; & quare demum Porphyrius ille & clarissimus & suae civitatis Consul, non secus ac Ausonius, appellatus fuerit. Haec omnia magna eruditionis copia exornat, confirmatque scriptorum auctoritate, aliisque monumentis antiquitatis, cujus se litterate peritum, &, ut ita dicam, nuntium esse ostendit. Post id coactus aperire sententiam suam de signo quodam plumbeo Concilii Basileensis, quas partes in eo habuerint Catanenses Episcopi, aliique Siciliae, quantum illi faverit Alphonsus Rex, quantum veteribus

chartis & codicibus olim abundaverit Catana, quae hominum vel malitia, vel negligentia alio translatae fuerunt, satis erudite exponit. Ad Ecclesiasticam quoque Siciliae historiam pertinent, quae de origine ritus pulsandi campanas in divini Panis consecratione scripsit ad Salvatorem Mariam Blasium Monachum Cassinensem, quo in opusculo plura habet, quae narrant scelus horrendum cujusdam Rizzi, qui an. MDXIII. ipso die Resurrectionis Domini nostri coram Senatu & frequentissimo populo violenter e manu sacerdotis Christi Corpus abstulit, cujus criminis caussa, tumultuante populo ipso, idem flammis consumptus est: ex hoc enim eventu ritum illum profluxisse probat. Fortasse vix haec digna putabis, quae commemorentur: sed Ignatius magni facere videbatur, quod ad historiam patriae, cui omnia sua studia consecraverat, quoquo modo spectabat. Eidem quoque benefacere arbitratus est, cum scripto exposuisset, qui locus esset aptissimus ad construenda opera, quibus naves in Catanae portum facile se recipere, ibique in tuto esse possent, qua occasione nonnulla tetigit de commercio, in quo pro-

vehen-

vehendo omnia sapientum civitatum rectorum consilia esse versata docet. Dum memoria Ignatius vetera repetebat, & praeterita tempora cum praesentibus comparabat, dolebat vehementer patriae, aliarumque multarum Siciliae urbium casum, quod ex maxima florentissimaque fortuna in minimam tenuissimamque devenissent, tantumque tribuebat antiquorum sapientiae in iis omnibus artibus colendis, quae conducunt ad vitae commoditatem, ac reipublicae prosperitatem, ut nihil fere posterorum industriae reliquerint. Quare prudenter eos egisse judicabat, qui eorum instituta, leges, mores, instrumenta artium, & vel ipsa oblectamenta (de honestis loquor) retinuissent. Dum has similitudines vel in minimis rebus quaerebat, vidit crepundia, quibus uti solemus ad pueros oblectandos, ex eodem fonte fluxisse, deque iis, deque similitudine vestium, ornamentorumque, quemadmodum sunt corallia, fascicolae, connexae manuculae, librum an. MDCCLXXXI. Florentiae vulgavit, in quo cum monumentis hujusmodi plurimis, quae ejus exornabant museum, magna eruditio comparet. Lepidum sane opus, ex quo

Digitized by Google

non disces modo quae erant puerorum propria, quibusque praeparabantur ad concipiendam sapientiam, sed etiam noveris plura esse, quae vel ex necessitate quadam, vel ex utilitate semper eodem modo fiunt. Eodem anno, eodemque in loco typis etiam commisit dissertationem de vasis murrhinis, quae omnium primum Pompejum, postquam de Piratis triumphavit, Romam advexisse, & Capitolino Jovi dedicasse testis est Plinius. Qua ex materia hujusmodi sane pretiosissima vasa conficerentur, variae erant discrepantesque inter se eruditorum sententiae, quas postquam suis ponderibus examinasset Ignatius, suam proposuit, multis argumentis conficiens omnia vasa ad continenda odorifera balsama murrhina fuisse dicta, & nomen non ex materia, sed ex ipsis balsamis (μυρων enim Graeci appellabant unguentum) accepisse, quamvis saepe ex lapidibus magni pretii, & ex gemmis quoque fabricarentur, & magnifice & pretiose caelarentur. Hac occasione declaravit etiam quae ad potum vasa, quae ad lavationem, & quae ad exornationem adhiberentur. Extremo vero in libro rationes eas

declarat, ex quibus conjicere se posse putat succinum magnam partem tenuisse in eo conficiendo unguento, quod murrhinum dictum est. Illud te non arbitror fugere extitisse, qui ab illo dissentirent, quod minime moleste ferebat, cum tam vellet nihil, quam ut liberum esset omnibus suum proferre judicium. Id unum sibi laborandum putabat, ne unquam sua cessatio vituperaretur in quaerendis undique & studiose conservandis antiquitatis reliquiis, quarum tam festivam copiam habebat, ut ejus museum pulcherrime laqueatum, & affabre pictum tota jam celebraretur Italia. Descripsit illud libello edito an. MDCCLXXVI. Dominicus Sestinius Florentinus, qui eidem erat a bibliotheca (1); & miraberis profecto unum virum adeo multa colligere potuisse publicae utilitatis, patriae decoris, studioso-

(1) Descrizione del museo d'antiquaria e del gabinetto d'istoria naturale di S. E. il Sig. Principe di Biscari &c. fatta dall'Ab. Domenico Sestini Accademico Fiorentino 1776.

rumque commodi gratia, ad quae tota vita nulla sui bonorumque suorum habita ratione respexisse videtur. Itaque ii, qui advenas ad ea, quae visenda sunt, ducere solent & unumquidque ostendere (mystagogi appellabantur) nihil esse ajebant, quod magis allicere deberet eruditorum oculos, quam Ignatii domum, quae hujus generis hominibus apertissima erat & perhospitalis. Dignitas domini, & singularis illius humanitas atque eruditio, addam etiam domestica disciplina, probitas, modestia, & consuetudinis suavitas magno illi erant ornamento, ut omnes intelligerent per ipsum universae civitatis decus plurimum augeri. Dedit & operam, ut quod superesset veterum monumentorum in tota Siciliae provincia per se noscerentur, ex quo maximum fructum, summamque voluptatem advenae perceperunt. Opus, quod continet rerum hujusmodi descriptionem, Josepho Bolognio Beccatellio Sambucae Marchioni, penes quem summa erat negotiorum publicorum potestas, nuncupavit, quod per eum factum fuerat, ut multa aedificia Graecorum & Romanorum, quibus pepercerant Carthaginenses,

ceteraeque nationes, quae crudeliter in illis locis dominatae fuerant, aut sarta & tecta conservarentur, aut, quantum fieri poterat, restaurarentur. Curavit is, ut haec res, partitis operibus (1) mandaretur Principibus tum Turris Mutii, tum Biscaris, nec sane intelligentioribus committi potuisset. In ingressu operis enumerat singularia & vere paterna beneficia, quae Siculi a Ferdinando III. Rege habuere, ut jam non solum sperare, sed etiam confidere possent, se veterem splendorem atque potentiam brevi recuperaturos. Quod si salutis omnium ac dignitatis rationem haberent civitatum rectores, melius quidem & sibi & reipublicae consulerent, neque vererentur tot intestina mala, quae undique fere erumpere nunc dolentissime conspicimus. At non minus optandum est, ut ipsi habeant plures consiliorum, & bene factorum adjutores, & perpauci sane invenientur, qui hac laude cum Ignatio con-

---

(1) *Provinciae, quae appellantur Vallium Demanae & Noti Ignatio nostro, Turris Mutii vero Principi Vallis Mazzarae commendatae fuerunt.*

Digitized by Google

tendere potuerint. In Siculorum inopia & fame, summaque annonae caritate semel iterumque horrea sua aperuit, ut patriae subveniret. Ad irrigationes agrorum flumen per pontem derivavit, quod opus C. usque centussium millibus ei stetisse dicitur. Horribilis turbo illud postea magna ex parte dejecit, sed minime propterea de restituendo mentem abjecit. Fecit ut arbores & segetes essent, ubi diu fuerat solida materies ab Aetna eructata, utque agricola subigeret aratro paludosa loca. Opere maritimas aquas sic continuit, ut per canalem cum superiori lacu conjungerentur tum ad alendos pisces, tum ad aquas e fontibus erumpentes facilius emittendas. Pecuniam dedit ad nosocomia, orphanotrophia, & virginum ac pauperum hospitia vel restauranda, vel conservanda. Ad hos sumptus si addideris, quos insumpsit ad excavanda Catanensia vetera monumenta, facile quidem judicabis, divitias non censu, sed rei publicae utilitate ipsum aestimasse. Nihil dico de beneficiis, quae contulit in privatos homines, & eos praesertim, qui se se litteris ingenuisque artibus consecraverant, & cum esset pi-

ſturae & architecturae intelligens existimator, hujus generis artifices quoque plures sua pecunia juvit. Quae dum gerebat principem se esse malebat, quam videri, cum honestum in factis, non in gloria poneret. Facillime autem ad aliorum calamitates sublevandas impellebatur, & cum anno MDCCLXXXIII. crudeli terraemotu conquassata fuisset una cum magna parte Calabriae Messana, quem casum Italicis carminibus, flebiliter sane, descripsit, multis vicinae urbis incolis liberalitate sua subvenit. Cum recordarentur vero Catanenses quae ab singulari voluntate profecta erant ad dignitatem civitatis augendam & ornandam, quanquam perpetuo animo fixa manerent, studuerunt etiam litteris atque immortalitati mandare. Quod pii & grati animi studium praesertim declararunt, illo extincto, carminibus, orationibus, elogiis Latinis & Etruscis ejus facta illustria commemorantes. Longe vero lateque ejus famam peragrasse tum ex testimoniis clarorum virorum, & Academiarum, quibus fuit adscriptus (Londinensem, Berolinensem, Burdigalensem, & Florentinas omnes nominasse contenti erimus), tum ex operibus,

quae illi dedicata fuerunt (1), lucide apparet, ex iisque testes nonnulli fuerunt quoque meritorum illius uxoris, cum qua conjunctiſſime vixit, & liberorum, quos liberaliſſime educavit (2). Audiebant hi quidem saepe patrem clamitantem:

(1) Catina illustrata Viti Amici; Epistolae binae Salvatoris Blasii de ascia sepulcrali: Thesaurus veterum dypticorum Jo. Baptistae Passerii; Symbolae litterariae Antonii Francisci Gorii Volumen VI. Praelectiones physico-medicae Augustini Giuffrida; de Testana inclita familia Secundi Sinesii &c.

(2) *Haec Riedesel* (Voyage en Sicile & dans la Grande Grece a Lausanne 1773.) La Princesse son epouse est la femme la plus digne, la plus respectable de toute la Sicile. Presider a l'education de ses enfans, gouverner sa maison, faire le bonheur de son mari, voilà ses occupations continuelles & chèries. Ni la vivacité de son caractère, ni la dissipation du grand monde, ni quelque cause que ce puisse etre n'ont jamais pu lui faire negliger ce prècieux devoirs, encor moins l'en écarter.... Deux Fils, & un Fille reunissent au merite de la plus excellente éducation le caracteres la

αλκιμος εσσ', ινα τις σε και οψιγονων ου κπῃ
ως νεφελη εκαλυψε μελαινα ;

& quod ad optima studia colenda , & ad majorum praeclara exempla imitanda vehementer

---

plus aimables ; tous trois partagent leur tems entre l'étude, & les soins qu'ils rendent à leurs parens ; il sont de la plus grande politesse, fort instruits, parlent tre-bien françois, sont pleins de talens pour la musique, & pour diverses autres arts, s'aiment tendrement, n'ayant rien de caché l'un pour l'autre. *Brydonius , Borchius aliique non absimilia dant praeconia Ignatii familiae, & haud satiari posse videntur mira prorsus de ipso narrantes, praedicantesque. Nam Templum musarum, concordiae, omnisque virtutis illius domum facile dixisses. Contemplantes vero quae & in privatis rebus, & in re publica gesserat, non solum honore, sed etiam admiratione illum dignum putabant, Catullianos illos versus usurpantes* :

Nam quacunque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

apti erant, ab eo mirum in modum diligebantur. Profecto nullus domi forisque fuit illo amabilior, prudentior, & ad bene agendum, & bene de omnibus merendum promptior, quare minime est mirandum si invidiam, dum vixit, virtute superaverit, & nemo extiterit, qui in ejus funere (mortem autem obivit ex stranguria Kal. Sept. an. MDCCLXXVI.) minime illacrymaverit.

OPERA EDITA.

Discorso Accademico sopra un'antica iscrizione trovata nel teatro della Città di Catania recitato nell'adunanza de' Pastori Etnei dal Principe di Biscari Fondatore e Protettore della medesima: in Catania 1771. in 4.

Memoria presentata all'illustrissimo Senato della chiarissima e fedelissima città di Catania dal Principe di Biscari in occasione del molo da construirsi nella marina di detta città: Catania 1771. in 4.

Lettera di Ignazio Paternò Principe di Biscari al Sig. Canonico D. Domenico Schiavo sopra un piombo del Concilio di Basilea: Catania 1772. in 4.

Lettera del ec. al P. D. Salvadore Maria di Blasi Casinense sul tempo dell'uso del suono delle

campane nell' elevazione della sacra OSTIA introdotto in Sicilia: Catania 1776. in 8.

Ragionamento a madama N. N. sopra gli antichi ornamenti e trastulli de' Bambini di Ignazio Paternò Castello Principe di Biscari, socio onorario delle Reali Accademie di Napoli, di Londra, e di Bordò: Firenze 1781. in 4.

De' vasi murrini Ragionamento d' Ignazio Paternò Castello Principe di Biscari ec. Accademico della Crusca: Firenze 1781. in 4.

Viaggio per tutte le antichità della Sicilia, descritto da Ignazio Paternò Principe di Biscari ec. Napoli 1781. in 4.

Descrizione del terribile Terremoto de' 5. Febraro 1783. che afflisse la Sicilia, distrusse Messina, e gran parte della Calabria, diretta alla Reale Accademia di Bordeaux, Poesia del Pensante Peloritano: Napoli 1784. *Alia poetica edidit Ignatius, & quae de Caroli Borbonii Regis laudibus cecinisse supra narravimus, in vulgus emissa fueruut Neapoli an. 1740., cum tum esset Ignatius in flore juventae.*

Lettera al P. D. Paolo Maria Paciaudi: *Extat* nella descrizione del Museo d' antiquaria e del gabinetto d'Istoria Naturale del Principe di Biscari fatta dall'Abate Domenico Sestini *1776. quo in loco extat etiam ejusdem ode, dicta eo ipso die, quo Academia Aetneorum primum celebrata fuit.*

RAYMUNDUS CUNICHIUS. (*)

Raymundus Cunichius Ragusii natus est, satis florente, & copiosa Urbe, summorumque ingeniorum in primis feraci. Puer patre, qui mature decessit, orbatus, sub matris sedulae, sapientisque feminae disciplina mansit, cui quidem nihil majori curae fuit, quam ut sua soboles ad pietatem, & ad optimas artes informaretur. Itaque cum praestantissimis utriusque studii magistris puerum

(*) *Hanc exaravit vitam Joachimus Tosius, Romae autem edidit an. 1795. & Balthassari Odescalchio Caeritum Duci, viro sane litterarum, litteratorumque studiosissimo nuncupavit.*

Digitized by Google

tradidisset, dici non potest quantos ille statim progressus fecerit, omnibus ut admirationi, matri vero in illa solitudine, incredibili esset solatio. Excellebat in eo, praeter ingenium acre, maximeque docile, mansuetudo quaedam, facilitasque morum, & animus doctrinae solum, virtutisque adpetens, ab omni pravitate majorem in modum abhorrens. Itaque in Societatem Jesu adsciscì petiit, impetravitque adeo decimum sextum aetatis agens annum; qui fuit a Christo nato MDCCXXXIV. Romam ergo in tyrocinium venit, in quo egregium sane, ac magnum virum nactus est magistrum, Fabium Danzettam Perusinum, cum apud suos, tum apud externos clarum. De cujus eximia quadam, excellentique eruditione, & pietate testimonio esse possunt ejus volumina, quae accuratissime descripta collegit, apud seque servat Zelada Cardinalis; quae quidem optandum est, ut pervulgentur, illudque, prae reliquis, *de probationibus & purgationibus tam canonicis, quam vulgaribus Antiquorum*, quod jam in multorum manus pervenit. Hic adolescentem Cunichium, praeclara ejus indole captus, ita complexus est,

tantaque cura, studioque excolendum suscepit, facile ut appareret, ipsum aliquid magnum de eo augurari. Quo quidem Alumno, prae reliquis, delectari maxime est visus. Nam illum, quoad vixit, perpetuo familiarem, & comitem, & omnium suorum consiliorum participem, ac socium habuit, aegreque omnino ab suo latere avelli patiebatur. Tyrocinio posito Cunichius Rhetoricae cum deberet animum adjicere, uti sapientissime erat in illa Societate institutum, nihil opportunius accidere ei potuit, quam ut Carolum Rotium ejus artis doctorem, ducemque haberet, Oratorem non illum quidem amplum, & grandiloquum, ast argutum certe, & callidum, purum, & elegantem, ac etiam ornatum; Poetam vero suavissimum, qualem is profecto se prodit in suo libello, qui cominianis typis est impressus. In iis enim artibus, quae non in veri investigatione, sed in naturae pulcherrimae imitatione versantur, quo summam laudem consequaris, haud satis mehercule est, magnum ingenium, judicium acre, sensum quemdam, ac veluti gustatum insitum afferre; sed magistri etiam opus est sollertia, &

industria, quae nimirum semina decori innata evolvat, & explicet, non obruat, inficiatve aliis male jactis seminibus. Hinc videas illos dicendi, scribendique apud Graecos principes ab Isocratis ejus generis opificis praestantissimi schola prodivisse; nec pictor ille divinus Raphael Urbinas ita praestitisset omnibus, nisi a Petro Perusino fuisset institutus. Cunichius igitur cum sua sponte, tum doctoris, qui sibi obtigerat, praestantia incitatus, eloquentiae, & poeseos studium incredibili alacritate arripuit, quam hercule remisit nunquam, sed intendit quotidie magis, quo uberiores dulcioresque ex sua diligentia, & labore fructus percipiebat. Nam cum summos utriusque facultatis auctores Rotius adolescenti imitandos proponeret, saepe ille ejus expectationem longe superabat. Nec vero in Latinis haerere satis duxit; sed a quibus illi, sibi etiam petendam sententiarum, verborumque ubertatem, & copiam, & artificium omne poematis, & orationis existimavit. Itaque ad Graecos, quorum nempe vestigiis insistentes Tullius, Flaccus, Maro, ac eorum aequales ad tantam gloriam pervenerunt, horum

Digitized by Google

praecepto, & exemplo, eorumdemque adeo aemulandorum studio Cunichius commotus, se convertit: inque iis legendis, pervolutandis, interpretandis, exprimendis plurimum operae collocabat. Cum biennio ita apud Rhetorem se exercuisset, praestantiaeque suae maximam spem cunctis fecisset, traditus est Philosophis perficiendus. Quibus certe nisi fuerit praeceptis conformata mens scientiaque rerum multiplici instructa, vagabitur illa, nec in veri spatiis consistet; nec aliud in oratione, seu soluta ea fuerit, seu adstricta numeris, afferes quidquam, nisi minutum, & jejunum, aut herbas effundet quidem, flosculosque, bonam vero frugem emittet nunquam; quod Tullius tam saepe inculcat de Oratoribus, & Flaccus de Poetis. Commodissima & in eo Cunichius fortuna est usus. Nam ei contigit, ut auditor esset Rogerii Boscovikii, secum & patriae vinculo, & amicitia conjunctissimi, ac Joannis Baptistae Faurii; quorum ille Mathematicas disciplinas, reliquas alter Philosophiae partes in Collegio Romano explicabat. Hic quidem apud Theologos magis, quam apud Philosophos fama floruit; quod

illorum nimirum scientiam deinceps unam colendam susceperit, aetatemque in eo studio consumpserit: at vel ea, quae de rebus a Philosophorum modo, & ratione remotissimis disseruit, quantum Dialectices, & Metaphysices praesertim fuerit gnarus, ostendunt; perinde, ut in picturis, & simulacris quibusdam aperte intelligimus, Anatomes admodum peritos fuisse eorum artifices. De Boscovikio vero nihil attinet dicere, quem omnes fatentur principatum in Mathematicis tenuisse. Qui Geometriae tractandae antiquorum est fere sequutus rationem, severiorem certe illam, & difficiliorem, quam ut plerisque nostra placeret aetate, expeditiorem, brevioremque viam, Algebrae subsidio, facere optantibus; ast ingeniis adolescentum acuendis, conformandisque omnium maxime accommodatam; id quod prae reliquis Simpsonus Anglus, gravissimus auctor, videtur intellexisse, qui eam revocare omni studio contendit. In talium virorum disciplina Cunichius vim augere illam sane debuit perspiciendi celerrime, quid in re quaque verissimum, quidque in omni actione, & ratione vitae rectissimum sit judicandi,

qua ipsum excelluisse compertum est: tum nectendi ita omnia in sua oratione, ac suo quodque ordine collocandi, nihil ut poneret, nisi ex bene antea constitutis principiis, nihilque non apertum, ac dilucidum ex proximo faceret. Ac certe quantum sub utroque doctore profecerit, in frequentissima concione sapientum virorum semel, ac iterum declaravit, cum de circulo, quem Mathematici *osculatorem* appellant, primum acutissime disputasset, anno vero post quaestiones quamplurimas, easque gravissimas, ex media Philosophia, dissolvendas recepisset, ac cuique seu percunctanti, seu erudite repugnanti mirum in modum satisfecisset. Adplicitus deinde Scholis habendis fuit, Grammatices annum, Firmi; humaniorum postea litterarum Tiferni; & Florentiae, in illo bonarum artium domicilio. Quo in munere sex annos ita versatus est, ut de juventute quidem illarum civitatum optime sit meritus, studio vero ipse obsequutus suo, lectione, commentatione, scriptione assidua, suam in dies aleret, ac roboraret poeticam, & oratoriam facultatem. Quo circa Romam reversus, Theologiae ut navaret

operam, ne legitimum quidem in ea tempus confecit. Nam quarto post anno, vere ineunte, illum sacerdotio jam initiatum, meditatum praeterea, ac paratum egregie, ad subeundum de ea scientia universa periculum in concione, ipsius moderatores jusserunt, ut suae Societatis adolescentibus Rhetoricam tradendam susciperet, quod in tanta praestantium virorum, quibus ceteroqui abundarent copia, is ante omnes unus ad eam rem maxime aptus, instructusque judicaretur. Itaque paruit; ac ad S. Andreae, in Quirinali, quindecim annos illud munus obivit, quanta cum laude non dico. Tot enim clari ex ejus disciplina homines, ac rei litterariae lumina prodivere, quot ignoro equidem, an illa Isocratis *eloquentiae officina cunctae Graeciae* extuderit. A Cunichio instituti fuere Luchinius, qui Acta Martyrum disertissime est interpretatus; Lanzius antiquitatis Hetruscorum acerrimus pervestigator, ac idem prudentissimus explicator, & elegantissimus; Ignatius Rossius auctor Commentationum Laertianarum, quarum, summa ipse admiratione captus, rationem totam exposui in Commentariis Litteratorum Muti-

nensibus; Morcellius stili Inscriptionum latinarum restitutor; Marottus delicatus scriptor; eos ut nimirum commemorem, quibuscum aliqua mihi est necessitudo, ceteros pene innumerabiles praeterire libelli hujus modo coactus. Inde ad eamdem artem in Collegio Romano tradendam est arcessitus, ubi id oneris annos triginta ad extremum vitae usque sustinuit. Etsi enim post acceptam illam cladem, quae non ipsum modo, sed longe plurimos, ac Rempublicam adeo maxime adflixit, Pisas is magnis praemiis propositis invitaretur, adduci non tamen potuit a Collegio Romano ut discederet; seu blanditiis retentus Zeladae Cardinalis, qui gymnasium, cui a Clemente XIV. Pontifice Maximo fuisset ipse praefectus, ornamento praecipuo suo orbari nolebat; seu quod se avelli ab ea Urbe Cunichius non ferret, in qua florem aetatis consumpsisset, ac educatus, altusque ad optima studia esset, necessitudines demum cum magnis viris plerisque conjunxisset. Clemente XIII. Pontifice Maximo renunciato, cujus tam prolixa extitit in Societatem Jesu voluntas, quum ejus Societatis homines gratulari illi

publice de honore adepto summo decrevissent, Cunichius delectus ad id fuit: qui in S. Ignatii aede, magnificentissimo apparatu, celeberrimo amplissimorum ordinum conventu, eam orationem habuit, quam cunctorum plausu exceptam, typis mandare debuit, suorum moderatorum imperio compulsus. Nam ipsi erat in animo eam occultare. Ast, quae versu scripserat, sane multa, recitaveratque in Arcadum saepe, aut amicorum coetu, universis, qui aderant, mirantibus, & collaudantibus, ea ut in lucem emitteret, magno convicio ab ipso efflagitabatur; ingentem quippe utilitatem harum studiosis litterarum adlatura. Contra ipse ea despicere, illudque opponere, aliud porro oculorum esse, quam aurium judicium; vereri se multum, ne cum sibi ipse, sua legenti, parum admodum placeret, vehementius etiam displiceret ceteris. Quae morositas illorum solet plerumque esse, quorum in animis insidet species, ac forma germanae pulchritudinis, cujus imaginem haud satis perfecte in suis expressam scriptis videntur sibi intueri. Secus ac alii quidem, Suffeni illius, de quo Catullus, similes: qui ita suis ineptiis

gaudent, *seque tam ipsi mirantur*, eas ut vel invitissimis nobis obtrudant. Vix demum Cunichius a Bernardo Zamagna, suae alumno disciplinae longe clarissimo, exorari passus est, ut quaedam Graecorum carmina, a se latine conversa, cum libris de Echo, quos ille condiderat, uno volumine ederet. Quo facto, cupiditatem hominum magis incendit, multa alia ejusdem generis, quae illi non inchoata solum, sed perfecta, & polita jam essent, de ejus manibus extorquendi. Commodum accidit, is ut amicitiam conjungeret cum Balthassare Odescalchio, quae labefactata nunquam deinceps est, verum confirmata in dies, & aucta potius, admiratione mutua virtutum, quas alter in altero agnoscebat, usuque perpetuo, & omnium inter ipsos officiorum certamine. Hic igitur Cunichium, grandiorem natu, cum suis ingenii, ac morum, doctrinaeque suavitatibus irretisset, ei quamdam vim adtulit; nec ille obsistere diutius Adolescenti nobilissimo potuit, instanti, ut Epigrammata Anthologiae Graecorum, magno numero a se latinis versibus reddita, proferret; qui liber ipsi Odescalchio inscriptus

adparuit. Ac nemo dubitet, istarum litterarum non plane rudis, quin eo Cunichius magnum adjumentum adtulerit earum cultoribus. Nam Epigrammata, quae acutae sententiae sunt paucis versibus apte conclusae, quum saepe numero ut pangantur tempus videatur ipsum postulare, oblectandis hominum scilicet animis, sitque id poematis genus multo jucundissimum, & gratissimum; Cunichius ejus speciem, & formam a Graecis, qui eam fere soli tradiderunt, petitam mirifice nobis exposuit. Non omnia, quae Anthologia comprehenduntur, sibi vertenda duxit, in quibus sunt certe multa minus pudica, multa etiam inconcinna plane, & frigida; ast, magno judicio adhibito, ea selegit, in quibus vir bonus pariter, ac Poeta bonus acquiescerent. Eadem porro sic est interpretatus, quaedam ut venustiora, salsioraque adpareant veste mutata; idque sentiet quisquis latina cum graecis conferre voluerit, quod ipsi fecimus. In animadversionibus, quas adjungit, cum prudens ostendit, sincerumque judicium, non supervacanea, non aliena a proposito conferciens; sed quod illustrando argumento neces-

Digitized by Google

sarium sit adducens, pressaque oratione, & limata exponens, tum vero, quam in Veterum lectione esset versatus declarat. Quumque poesis hunc ad finem, naturae ipsius ductu, extiterit, ut animos oblectet, ac maestitiam levet, si qua insederit, id nimirum Anthologica praestant a Cunichio versa, mihi ut ille videatur, eo solum libello, nomen suum immortalitati commendasse. Sed ut majus etiam, & praestantius opus aggrederetur Cunichius, ei Odescalchius persuasit; Homeri nempe Iliadem latino carmine exprimendam: debere ipsum hoc munus Italiae praesertim, ac studiis Romanae juventutis, quam instituebat; postulari illud, expectarique ab eruditis omnibus, vel ex eo tempore, quo optimae artes, doctrinaeque reduces fuere; complures eo ingenium, & operam suam contulisse, potentissimorum principum hortationibus, atque spe amplissimorum praemiorum incitatos: Nicolaum V. Pontificem Maximum Philelpho pollicitum multa agri jugera, ornatissimas praeterea in Urbe aedes, ac decem millium aureorum summam, si rem confecisset: verum, seu casuum, qui sunt postea consequuti, a-

cerbitate, seu hominum culpa, seu negotii ipsius difficultate, neminem adhuc inventum, qui divinum illud poema totum latino versu interpretaretur, nisi Helium Eobanum Hessum; qui tamen doctis existimatoribus nequeat satisfacere, nec numero, nec verborum splendore, & sententiarum, nec lepore, & majestate, Homericum quidquam canens; materiem esse dignam ea, qua ipse polleret, singulari scientia graecae, & latinae linguae, & poetici artificii, illaque exercitatione, in qua tot jam annos versaretur. Valuit apud Cunichium Odescalchius sua oratione, & gratia; ac ille, quo mandata citius perficeret, nullum sibi diem praetermittendum statuit, quin triginta saltem versus conderet; qua sedulitate factum porro est, ut Ilias non multis post Anthologica annis in latinum carmen versa prodierit, Odescalchio quoque dedicata. Qui, ut est summa liberalitate, cum sua impensa curasset illam imprimi, ejus exempla omnia, perpaucis detractis, quibus ad amicos suos munerandos opus ipse haberet, Cunichio donavit. Praeposuit Cunichius gravem orationem de optimo Homerum interpretandi genere, quod

totum sit in eo positum, ut Poeta latine loquens a se ipso graece loquente non discrepet, non sententia modo, sed eo praesertim, quo Poeta est; loquutionis nimirum ipsius vi, granditate, splendore, numero, suavitate; sic ut utraque lingua eosdem in legentium animis cieat motus, eadem fere illos expleat jucundissima voluptate: ad quod efficiendum non verba enumeranda interpreti sint, verum adpendenda, sententiisque servatis diligenter; earumque formis, quasique figuris, latino cantu serviendum sit maxime latinis auribus: idque pluribus disputat, ratione, antiquorum, praecipue Tullii, auctoritate, & exemplo, ad quod profitetur laborasse, ut se totum fingeret, & accommodaret in Homerica magnitudine persequenda, & venustate; quod mehercule praestitit. Transtulit etiam eadem ratione, & laude, Thusca quaedam carmina latinis elegis; Cordarae sodalis sui ludicra illa festivissima de ficta caesarie Rogerii Boscovikii, & nonnulla Francisci Zanotti summi illius viri, ad omne litterarum genus nati, & apti: ac nisi inscriptio nos admoneret, dubitaremus profecto, uter alterum sit interpreta-

tus. Nec in alienis poematis modo vertendis clarus fuit Cunichius; tametsi ad communem quidem utilitatem, quam unam, ii, qui scribunt, intueri, & sequi debent, plurimum ille contulit, divitias, atque ornamenta ingenii Graecorum Latinis proferens; tum longe operosius est, ac difficilius Poetarum principes ita, ut dictum est, interpretari, quam suo canere arbitratu; id quod sentiet, si quis volet experiri. Verum Cunichius poemata & ipse composuit. Multae Elegiae ejus pervulgatae sunt in volumine Poetarum Infoecundorum, & in libello quodam Cremonae; quae quidem argumento solum a veteribus possunt secerni. Illarum artificium est fere Catullianum; sed in iis Tibulliana plerumque dictionis facilitas, & suavitas elucet. Verum in Epigrammatis primae ei sunt deferendae: nemini omnino vel antiquorum concedit: tantus in iis extat, ac tam nativus lepor, tanta concinnitas, ac venustas. Quorum aliqua emanarunt; ast multorum millium numerum Pizzellia apud se habet, praestantissima Femina, quam in Menagii librum de claris feminis merito includas; cujus domum litteratis-

Digitized by Google

simi quique celebrant. Nam, ut primum suo vivere arbitratu Cunichio vel ingratiis licuit, ad Pizzelliam ventitabat, cumque ea Scriptores latinos, & graecos lectitabat; cui, ut ne roganti deesset, Epigramma quotidie aliquod, saepe plures, tamquam munus, ac pensum, ut ipse dicebat, suum adferebat. Marottus vero cum Epigrammata, tum alterius generis carmina tam multa, illo mortuo, repperit, ut volumina fere duodecim ex iis compleri possint; ut nos ab eodem Marotto accepimus. Nam diuturna ille exercitatione hoc erat assequutus, ut nullo labore ornatissimos, & optimos versus effunderet, saepe inambulans; quos tabernam, aut officinam aliquam ingrediens scripto consignabat; interdum prope ex tempore. In quibus omnibus incorrupta semper quaedam latini sermonis integritas, & cantus quidam in animos illabens, & sensus mulcens, non percellens auditur. In oratione soluta metro eadem ille sinceritate, & elegantia latini sermonis, qua in versibus, se commendat; ast nervosior est, quam dulcior, sedatus fertur, non incitatus, quippe cum docere potius, quam permovere animos velit;

ut nihil habet redundans, nec rerum, nec verborum; ita accuratus est in conſectandis omnibus, quae ei probando, & explanando, quod semel posuit, faciant, ac magnopere diligens in iis collocandis, arctoque nexu inter se vinciendis; acutas quoque sententias, parce quidem, admiscet, tamquam lectissimos flores. Nisi sua eum modestia cohibuisset, multis id genus orationibus nos locupletasset, illis nimirum, quas toties magna corona habuit in Collegio Romano pro instauratione studiorum, proque parentalibus Gregorii XIII., quas quidem superesse apud Marottum opinor. De ejus nunc oratoria facultate vix, etsi certe satis possumus judicare ex oratione, qua gratulatur Clementi XIII. Pontificatum Maximum, exque eo sermone, quem de ratione Homerum interpretandi Odescalchio instituit, uti demonstratum antea est. His ingenii, doctrinaeque virtutibus magna apud absentes existimatione floruit. Litteratorum fere nemo, quamvis e remotis gentibus, Romam venit, quin Cunichium de facie noscere, eum adire, cumque eo colloqui peteret. Sed qui aderant, ejusque consuetudine frui poterant,

omnis ordinis, aetatisque homines, eum non colebant, & observabant modo, ast mirifice etiam amabant; quos ipse alliciebat nimirum suis animi virtutibus, multo potioribus, quae ornatum, & pulchritudinem superioribus illis adjungebant. Eximia fuit morum innocentia, & candore; nihil in eo fallaciae, neque fuci, neque blanditiarum, neque malevolentiae in quemquam, aut invidentiae; nemini unquam obtrectavit, de nemine conquestus fuit. Cum quidam in eum injustior fuisset, idque ejus amici acerbius apud ipsum dolerent, Cunichius, non injuriam tantum silentio ferre, sed negare etiam injuriam se ullam accepisse. Si ejus forte sententiam de aliquo sciscitareris, qui doctum se profiteretur, in illo, si quid esset laudandum, extollebat; si quid reprehendendum, sermonem alio avertebat. Nemo fuit eo minus loquax: etsi rogatus judicium suum interponere, quacumque de re, aut arte, aut scientia, injecta esset quaestio, quod is pronunciasset, veritati semper congruebat. Cum tanta esset praestantia doctrinae, gratiosus apud principes Civitatis, carus omnibus, nullum ejus insolens dictum est unquam au-

ditum, nullum supercilium animadversum. Comis, & perhumanus, & officiosus in omnes, hilaritate quadam oculorum, & familiaritate vultus, cunctos sibi devincire. Si qui iisdem, quibus ipse, se dedidissent litteris, eos hortari maxime, ut ne a suscepto cursu deflecterent, studium illis, & operam suam polliceri, gaudio triumphare, si quod praeclarum suae industriae specimen protulissent, suffragia ipsis doctorum, & potentum virorum exquirere. Studia enim doctrinae colebat, ipsius doctrinae amore ductus, utque ejus fructus ad ceteros permanaret, non ulla opum, gloriaeque cupiditate inflammatus, quae inimica saepe justitiae est, ac mentem de suo statu exturbat. Omnes quidem benigne complectebatur, sed praecipue adolescentes, in quibus cum significatio esset probitatis, tum discendi ardor. Eam ob caussam Seminarii Romani Alumnos ita amabat, ut ardentius non posset; ac memini ex eo me audivisse, quum diceret illorum se adspectu ipso, incredibili affici laetitia, & voluptate, quod praeclaram sobolem in spem Reipublicae, & Ecclesiae eductam sibi videretur intueri. De ejus

vero pietate, & religione longum esset dicere: qua erat praeditus tanta, ut de Deo quoties, aut sanctissima Dei parente ad suos discipulos verba faceret, vehementer commoveretur, neque lacrymas contineret. Singulari fuit erga amicos fide, & constantia, quos nimirum sibi moribus, atque studiis optimis similes copularat. Nunquam ab iis dissensit, nullum suum unquam officium desiderari commisit. Praeter ceteros Benedicto Stayo familiarissime est usus, illo, qui latinas Musas de reconditiori Philosophia tam accurate, & magnifice loqui docuit; & Marotto, qui ejus decedentis mandata extrema excepit. Hac ratione vitam Cunichius ad septuaginta sex annos perduxit, firmissima semper valetudine fruens. Octobri exeunte superioris anni post Christum natum 1794. stranguriae morbo graviter laborare coepit; quo quidem vel antea leviter implicitus, id prae verecundia celarat. Cum ex eo paululum recreatus, spem non exiguam sui recipiendi faceret, subito apoplexia prostratus, septimo post die consumptus est X. Kal. Decembris, rite omnibus religionis praesidiis antea septus, & instructus, aequo

prorſus animo, ut qui recte factorum conſcientia ſuſtentaretur, inque beatam aeternitatem, ex his corporis vinculis & ſqualore evolaret. Quamdiu aegrotavit, nulla re eum egere Balthaſſar Odeſcalchius paſſus eſt; ſed omnia, quae ei levando eſſent opus, abunde ſubmiſit, nulli aut impenſae, aut curae parcens. Illius interitum nemo non acerbe tulit, ejus vero amici lacrymis etiam ſunt proſequuti. Ex pecunia, quam relinquebat, Sacerdotium conſtitui juſſit, quod iniret, poſt Marottum, Alumnus Sem. Rom. is, qui Cardinali, vicarias Pontificis Max. partes in Epiſcopatu Urbis agenti, videretur; idemque pro ejus anima expianda deberet quotidie ad aram facere. Elatus eſt non magna pompa funeris: ita enim ipſe praeceperat quo poſt mortem etiam ſuae conſtare modeſtiae videretur. Sepultus eſt in SS. Duodecim Apoſtolorum aede.

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO CARBONIO

LATINAE ELOQUENTIAE IN REGIO CALARITANO LYCEO PROFESSORI

S. P. D.

Fuerunt, qui me Jesuitas laudantem parcum, reprehendentem (quis enim unquam hominum coetus extitit, qui reprehensioni nullam caussam dederit?) nimium, & etiam maledicum dixerunt, quamvis & illud plenissime, atque hoc moderate praestiterim. Profecto qui rationem posteritatis habere velit in scribenda historia, etiam atque etiam videre debet, ne partium studio abripiatur, & nequa suspicio gratiae sit, neque simultatis. Hoc si me assecutum esse judicabor, facile contemnam eorum voculas, qui prorsus ignorant, quod historici proprium sit munus atque officium, quique veritatis consilium frustra requirunt ab animis ambitione, studiis & mala consuetudine imbutis. Desinant igitur ii clamare me inimico ani-

mo fuisse in Boscovichium, quod hypothesim quamdam, qua ad omnes fere naturales caussas explicandas abutebatur, non ex meo, sed ex illustriorum physicorum judicio minus veritati consonam appellaverim; desinant reprehendere quae de Ferronio in Borellii vita, de Ceva in Grandii, de multorum machinis in Norisium, in Bonam, in Galilejum, in Marchettum ceterosque recentioris cujusdam philosophiae cultores sapientissimos narravi; desinant calumniari quae dolenter commemoravi de perversa non Jesuitarum modo, sed & aliarum religiosarum familiarum consuetudine, quod per vim & imperium cogebant suos ne transversum quidem unguem a trita a majoribus via discedere, & in eo perseverare studiorum genere, quod saepe minus aptum erat uniuscujusque naturae. Multa dies affert, & plura quam quis putat discimus quotidie, & sunt in nobis semina quaedam ingenii, veluti a divinis mentibus accepta, quae si colantur diligenter, fructus edent amplissimos ad omnium diſciplinarum incrementum. Quapropter cum incidimus in homines, qui vinculis ali-

cujus certae disciplinae obstricti non vident quid ante illorum oculos posuit natura, qui suum minime noscentes ingenium in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes deducuntur, qui quae in mentem aut in libidinem venerunt iis, quos semel probavere, quibuscumque societate familiae conjunguntur, in dubium revocari minime sinunt, quique demum tyrannice ita dominantur in suos, ut libertatem non dicam dicendi, sedne cogitandi quidem iis relinquant, illos & reprehendimus & verbis castigamus. An putas Andresium nostrum tam multa de omnium disciplinarum statu docte, erudite & eleganter dicturum fuisse, nisi solutus illis vinculis fuisset, quibus in Hispania degens devinciebatur? Nonne Hispanos alios vidimus ingenio praestantes, postquam diu servitutem perpessi fuerant, ex quo libertatem recuperarunt, multa litteris mandasse immortalitate dignissima? Haec tecum agere libuit, amicorum suavissime, quod ita de omni re judicare soles, ut nihil praejudicati afferas, neminique plus tribuas, quam res & veritas ipsa concedat. Num uterque nostrum desti-

tit unquam laudare elegantiam Cunichii in omni Latinae scriptionis genere ac praeſertim in epigrammatibus, doctrinam Riccati in mathematicis disciplinis, eruditionem Tiraboschii in prodendis litteratorum hominum monumentis? Horum tu imagines in hoc uno expressas volumine intueberis, quodque ii fuerunt non solum ingenio, editisque scriptis, sed etiam integritate & innocentia morum spectatissimi, quodque nihil praetermissum sit ad eorum divinas laudes celebrandas, facile ex eo intelliges, num animum geram malevolentia suffusum in eos, qui Societati Jesu nomen dederunt. Sane quae posset esse excusatio, si minus favere convincerer Sodalitio, quo nullum unquam extitit feracius hominibus doctrina & sanctitate illustribus, cujusque exitium non modo Christianae Reip., sed etiam litteris fatale fuisse judicatur? Ea propter tibi & favemus, tua & virtute frui optamus, tibique, dum Tiraboschii vitam dono mittimus, fausta ac felicia omnia precamur. Vale.

Florentiae postr. Kal. Quint. MDCCLXXXXV.

Digitized by Google

HIERONYMUS TIRABOSCHIUS.

De Hieronymo Tiraboschio Bergomate non facile quidem statues, utrum melior fuerit, an doctior. Susceperunt eum Vincentius Tiraboschius, qui Bergomi mercaturam faciebat, & Laura ejusdem cognominis, sane castissima femina, XV. Kal. Jan. an. MDCCXXXI. Vel ab ineunte aetate signa dedit mirifici pudoris, & grandior factus, cum processisset ad virtutis aditum, nemo illo fuit parentum voluntati obsequentior, nemo colendae religionis, ceterosque ac praesertim inopes juvandi studiosior, nemo in officio omni exequendo diligentior atque solertior. Postquam in patria elementa litterarum didicit a Petro Arneato presbytero, qui publicas scholas habebat, ductus est ad Modoetianum Collegium,

quod tum a Jesuitis regebatur, ac compleverat nondum XV. aetatis annum, cum in eorum Societatem admitti postulavit. Facile id obtinuit, adversante licet patre, qui ab unico masculini generis filio (nam cum eo tres filias genuerat) in quo egregiam quamdam & praeclaram indolem esse cognoverat, haud mediocria sibi, & familiae suae fortunae bonis non admodum abundanti pollicebatur subsidia. Genuae tyrocinium posuit, quo expleto, consilia inire coepit colendae litterariae historiae, omniumque humaniorum litterarum, ad quas praesertim se a natura factum intelligebat, quanquam haud mediocriter in divinarum disciplinarum studiis profecit, iis habitis doctrinae experimentis, quae prima apud Jesuitas putabantur. Theatrum quidem bellum habuit declarandi ingenii, probandique quantis instructus esset praesidiis ad profitendam eloquentiam, cum hujus magister factus fuisset in Mediolanensi Collegio, quod Brerae appellatur. Nam quae ante hoc tempus gesserat minora magisteria Genuae aliisque in urbibus, umbratiles exercitationes facile dixeris. Ut haberent discipuli vocum

dictionumque Latinarum quasi promptuarium quoddam, Mandosii Dictionarium non modo auxit, sed pene totum renovavit. Scribebat accuratissime ea, quae pronuntiabat ad explanandos Latinos scriptores, habebat volumen prooemiorum, ex quo eligere solebat, cum aliquod συγγραμμα instituebat, quotannis in studiorum instauratione ad inflammandos juvenes orationes copiosissimas & ornatissimas dicebat, omninoque optimi praeceptoris patientia & diligentia singulari exequebatur officia. Quibus cum solutus erat, abdebat se in ejusdem collegii bibliothecam, omni librorum copia refertissimam, quorum indicem ita confecit, ut non modo eos se annumerare lectori putaverit oportere, sed tanquam appendere. Haec fama celebrabantur, et nemo Mediolani erat, qui plurimum non tribueret doctrinae, eruditioni atque elegantiae Tiraboschii. Propter suavissimos vero, & castissimos mores vel ipsi parietes affari, & appetere illum videbantur. Coepit autem absentibus etiam notus esse, cum anno MDCCLXVI. in vulgus edidisset primum Volumen operis, quod inscribitur: *Vetera Hu-*

miliatorum monumenta, quodque totum duobus consequentibus annis, binis aliis emissis voluminibus, absolvit. Quidquid relatum erat in monumenta familiae, quae coeperat esse ineunte saeculo XI. quae diu in Italia floruerat, quaeque desierat Summi Pontificis Pii V. jussu anno MDLXXI. idcirco quia prorsus degeneraverat a consuetudine, & disciplina majorum, diligentissime conquisivit, eorum plura vulgavit, atque historiam contexuit Latini sermonis elegantia, rerum delectu, & patefactione quasi opertarum commendatissimam. Etenim nemo ignorat quantis involuta sit tenebris Medii, ut loquimur, Aevi Historia, tum sacra, tum civilis, tum litteraria. In qua illustranda id sibi genus scriptionis constituit, quod maxime semper adamavit, ut ex tabulariis erueret certissima monumenta, quibus ad degendam vitam cum virtute, honore & gloria posteri incitarentur, in quo non minus laudabis rei confectionem, quam Auctoris mentem. Flocci enim faciebat quidquid cum aliorum utilitate minime erat conjunctum. Cui sperans se posse servire, si otio affluerat, facile cessit Francisci

III. Mutinensium Ducis auctoritati, seu potius paruit, a quo praefectus fuit Atestinae Bibliothecae una cum ejus collegis Troilio, & Gabardio. Quod diu in animo habebat summo cum studio tum coepit urgere, scribendae scilicet Italicae Historiae, quae omnem rerum ad litteras pertinentium memoriam breviter complecteretur. Ejus initium sumpsit ab ultimis Italiae populis, ac praesertim Etruscis, Siciliae, Magnaeque Graeciae incolis, a quibus ad Romanos omnes fere praeclarae artes pervenerunt, ipsam autem perduxit ad exitum usque saeculi XVII. vitas scriptorum explicans, de illorum operibus judicans, artium institutionumque, quae cum litteris conjunctionem habere videntur, originem & vices indicans, tempora cum temporibus conferens, &, ut paucis dicam, omne id narrans, ex quo judicari possit qualis omni aetate litterarum fortuna fuerit. Et quod contigit quibusdam summis viris ad res magnas gerendas divinitus concessis, ut quamvis expertes essent litterarum, multa tamen pro harum bono praeclara egerint, his quoque debita laudum praeconia tribuit Tiraboschius, cum

ei propositum fuisset explanare non per quos gradus modo, sed etiam per quos homines res litteraria creverit. Porro miraberis vix elapso anno, quo Mutinam venerat (accidit id aestate anni MDCCLXX.) Tiraboschium vulgare potuisse primum immensi ferme operis volumen, in quo contexendo non tam erudire voluit lectores, quam delectare rerum varietate, & dictionis, simplicis tamen, & a communi usu vix abhorrentis, elegantia. Totum autem opus undecim annorum spatio, & quatuordecim voluminibus absolvit, nec dici satis potest quantos illi plausus eruditi omnes impertiverint. Suum etiam quodammodo illud fecerunt Galli & Germani, cum in patrias linguas magna ex parte convertissent; nam illos intererat scire unde scientiarum lumen arripuerint, cum, ut ait Alembertius (1), ceterarum nationum magistra fuerit Italia. Non caruit tamen Hispania vel ab antiquissimis temporibus hominibus doctrina claris, quos

(1) Discour preliminaire a la Encyclopedie.

quod dixerit Tiraboschius cultioris latinitatis corruptores, ferre debuit acerbissimas Xaverii Lampillas reprehensiones, cui potiora fuerunt patriae gloria, & defensio, quam vincula familiae, quibus cum Tiraboschio fuerat conjunctus. Sed quia in hoc erat mitis clemensque natura, adversario minime succensuit, responsum tamen dedit, & ea sane caussa erat, in qua statuere facile quilibet per se poterat, num Lucanus, Martialis, Seneca ceterique hujusmodi scriptores in Hispania nati exempla dederint orationis, quae turget & inflata est, quae est contorta & aculeata, quaeque fucato magis, quam naturali gaudet nitore. Primi licet & soli non fuerint, celebritate tamen nominis multos transversos egerunt. Asperius, inquies, scripsit Lampillas, immo fortasse liberius, multa tamen protulit, quae ejus non vulgarem comprobant eruditionem, quaeque nonnullam labeculam operi Tiraboschii aspersisse viderentur, nisi fas esset opere in longo interdum obrepere somnum. In eo quidem rogandus erat Lampillas, ut si quam habebat ulciscendi vim, differret in tempus, dum defervesce-

Digitized by Google

ret ira. Culpavit enim Tiraboschium, quod male ſemper animatus fuerit in Hiſpanos omnes, neque iis laudem tribuerit fuiſſe cunctarum fere diſciplinarum & auctores, & magiſtros, perinde ac ſi Italis noſtris nulla hac in re ſuperfuiſſet gloria. Aliter quidem egit cum Tiraboſchio Ludovicus Blanconius, cum editis quibusdam litteris de Cornelio Celſo, ipſum blandiſſime appellaſſet ad perpendenda argumenta, quibus ſe probare poſſe putabat nobiliſſimum Latinorum medicum non argentea, ut ajunt, utque vulgo putabatur, sed aurea vixiſſe aetate. Libentiſſime huic ſubſcripſit ſententiae Tiraboſchius, qui in omni re nil tam volebat, quam verum invenire; eaque propter plures fuerunt, quos habuit inveſtigationum ſuarum participes in iis praeſertim ſcriptoribus, qui ad eorum patrias pertinebant. Porro nil non egit, ut opus omnibus ſuis numeris & partibus perfectum eſſet, & cum de mathematicis, phyſicis, medicis, anatomicis, aliiſque hujuſmodi ſcriptoribus ei dicendum eſſet, doctiorum judicia exquiſivit, exſcripſit etiam, ne nimium ſibi tribuere videretur, quaſi de omni diſciplina recte judi-

care potuisset. Vidit & multa esse, quae in opus jam vulgatum addi poterant, nonnulla etiam emendatione digna, eaque propter de illo iterum imprimendo cogitavit, quod & praestitit paullo antequam moreretur, quindecim usque editis voluminibus. Hujus operis caussa non cum solo Lampillas ei dimicandum fuit. Gratias egit Vannettio Equiti & Alexandro Georgio, quod suas partes suscepissent adversus Thomam Serranium, Hispanum & ipsum, ipse vero per se ultor esse voluit impudentiae Dominicani hominis Mamacchii, qui dum Romae imprimebatur opus ipsum, typographo suppeditaverat breves, sed asperas in illud animadversiones, cum intellexisset nunquam, omnem castigationem disputationemque contumelia vacare debere. Quae huic respondit tota conspersit faceta & eleganti ironia, ut nulla ratio superesset adversario dicta amplius sua persequendi. Ex his autem intelliges animos quoque bonorum irritabiles esse, praesertim si ea caussa sit, in qua de retinenda veritate agitur. Erat & aliud genus hominum, quos aequo animo haud ferre posse videbatur Tiraboschius. Nam

ut fuit semper Jesuitarum suorum studiosissimus, vehementer commovebatur, si quem invenisset, qui in invidiam eos vocare conaretur, qua in re sive pietati, sive fidei, sive aequitati servierit, aut excusationem, aut laudem meretur. Melius etiam, ut reor, iis consuluisset, si in judiciis ferendis de illorum scriptis nihil partium studio tribuisset. Sed ita sunt hominum ingenia, ut in quamcumque partem se dederint, eam constantissime tueantur. Quod hoc suum munus, suasque partes esse putabat, ut non minus satisfaceret Mutinensibus, a quibus singularibus afficiebatur honoribus, postquam de Italis omnibus doctrinae gloria claris egerat, de iis, qui fuerunt erantque in eorum ditione, separatim agere instituit, atque hoc ab illo civitas, quae siquae unquam alia Italica litterarum laude floruit, vel omnes potius illius provinciae gentes, non expectabant solum, sed etiam postulabant. Quanquam stimulis non egebat homo, qui omnia sua officia, studia, curas, cogitationes pollicitus fuerat Herculi III., a quo illo ipso anno, quo clavum imperii tenere coepit (fuit hic MDCCLXXX.)

praeses Bibliothecae ac Numophylacii, eques & a consiliis declaratus fuit. Sex usque voluminibus, alphabetico, ut ajunt, ordine dispositis, *Bibliothecam Mutinensem* (sic enim opus inscribitur) complexus est, & optandum sane erat, ut orationi suae fines angustiores constituisset. Multos enim commemorat & laudat, qui quamvis expertes litterarum minime fuerint, & scripta etiam vulgaverint, memoriam tamen posteritatis minime merebantur. Adde quod ad opus conficiendum multorum opera sic usus est, perinde ac si aliis magis, quam sibi, & unius oppiduli ac familiae, quam litteratorum Reipublicae gloriae servire voluisset. Et cum propositum quoque illi fuerit de musicis, pictoribus, sculptoribus, aliisque hujusmodi artificibus dicere, quibus separatum assignavit volumen, non admodum satisfecisse videtur harum artium cultoribus, ceterisque, qui verissimum pulchritudinis judicium habent. Etenim in artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio (& earum quidem forma duplex est, quarum altera oculorum, altera delectationem secta-

tur

tur aurium) diligenter ac prope faſtidioſe, judicare debemus; quare homini, qui eas minime attigit, neque ſenſu ſuo guſtare poteſt, tacere expedit. Quae pertinent ad rem litterariam ſuo more Tiraboſchius tractavit copioſiſſime & eruditiſſime, & habuit ſane campum, in quo exultaret ejus oratio, cum vitas explicaſſet Sadoletorum, Sigonii, Caſtelvetrii, Faloppii, Muratorii aliorumque plurium hujuſmodi virorum, quibus omni fere aetate abundavit Mutinenſium civitas. Haec ad declarandum animum ſuum gratum in Tiraboſchium, hunc ſatis magno argenti pondere donavit, & honorificentiſſimo decreto in nobilium civium collegium adlegit. His beneficiis alacrior factus Tiraboſchius ad nova ſuſcipienda, an. MDCCLXXXIV. hiſtoriam vulgavit Nonantulani monaſterii, quo nullum in univerſa Ciſalpina Gallia illuſtrius fuit. Quo tempore conditum, a quibus auctum decoratumque fuerit, quas fortunae viciſſitudines pro temporum varietate tulerit, quae bona in tota fere Italia poſſederit, quot viris aut doctrina, aut ſanctitate illuſtribus floruerit, qui illud gubernaverint, quomodo erga

ipſum se gesserint vicinae urbes Mutina & Bononia, quae diu nimis infensa aemulatione inter se contenderunt, ita persequitur, ut nulla res illustris fuerit, quae non suo tempore sit notata. Magna monumentorum vis (& his quidem totum secundum operis volumen constat) quae ei omnium primo videre contigit, materiem suppeditavit ad narrandas res, quae mirum in modum illustrant historiam medii aevi, illarum urbium, & aliarum complurium Italicarum. Quare minime est mirandum si hoc opere in primis gloriari videretur, quod cum nuncupasset Francisco Mariae Atestino Abati, ut loquuntur, Commendatario illius monasterii, grate professus est hoc totum illi deberi, quod impensam fecerit impressionis, & monumenta, quae latuerant, in manus suas venire siverit. Inter haec plura alia edidit, quae veluti laxamenta erant graviorum occupationum. Rogatu matronae nobilissimae vitam S. Olympiae declaravit, ad quam plures extant S. Joannis Chrysostomi litterae, sed nihil attulit novi, postquam de ea sane copiose disseruerant Savaglius & Montfauconius, quos cum legeris, homines au-

dies Graecis litterris eruditissimos, quarum ignarus adeo erat Tiraboschius, ut peregrinari in aliena civitate videatur. De Fulvio Testo, quem non dubitaveris omnium, qui saeculo XVII. fuerunt, Poetarum nobilissimum appellare, & de Rimbaldo Azzonio Comite, poeta & ipso, & eruditione & litterarum patrocinio illustri sane homine, plura litteris mandavit, quae ejus diligentiam & eruditionem declarant. Amabat Poetas, quia & ipse minime expers erat poeticae suavitatis, ut ex ejus paucis carminibus tum Latinis, tum Italicis, quae Carolus Ciocchius edidit eo in libello, in quo de prima aetate, primisque studiis Tiraboschii egit, intelligi potest. Cum autem quaereret qua aetate coeperit, & unde originem duxerit illud similiter desinens, quo tantopere gaudet Italica poesis, ad illius manus pervenit opus quoddam Jo. Mariae Barbierii, quod inscribitur *dell' origine della Poesia Rimata*. Vulgavit ipsum an. MDCCXC. ornavit etiam praefatione & animadversionibus ad eam confirmandam sententiam, poesim, quae adhibet verba similiter desinentia, ab Arabis ad Hispaniae & Provinciae poetas,

Digitized by Google

a quibus nostri acceperunt, dimanasse. Multa & disputaverat antea huic convenientia sententiae Joannes Andresius, qui omnis fere praeclarae inventionis Arabes suos auctores fuisse contendit. Sed adversus hos omnes surrexit Stephanus Arteaga (1) vir acer & doctus, multisque argumentis probavit nil commune habere Arabum poesim, cum ea, quae quondam in usu fuit apud Hispaniae & Provinciae populos, & vel antequam Arabes in Hispania dominarentur, vestigia apparere illius poesis generis, quam *Rimata* nos Itali appellamus. Non Hispanis modo & Italis, sed & Germanis Britannisque VI. vel VII. aerae Christianae saeculo, illam innotuisse certissimis monumentis conficit. Unde vero ejusdem ortus repetendus esset se probaturum spopondit, quod tamen minime praestitit. Sane non dubito, quin Tiraboschius, cui nihil erat dulcius veritatis luce, in illius sententiam iverit, hac

(1) Dell' influenza degli Arabi sull' origine della Poesia moderna in Europa. Roma 1791. in 8.

de re una fortasse culpans adversarium suum, quod tantum in scribendo dabat acrimoniae, ut haec nullis mitigationibus leniri posse videretur. Dum Tiraboschius personae Barbieri nimium indulsit, rem gratam se facere putavit Mutinensibus suis, quod in illorum urbe, quemadmodum alii plurimi doctrina praestantissimi viri, ortum habuerat, quodque illius singulares laudes vetustas obruisse, & oblivio fere delevisse videbatur. Fuit & alia res, ex qua non solum gloriae fructum, sed etiam pietatis laudem consequi se posse speravit. Vel ab eo tempore, quo in Nonantulani monasterii historia conscribenda elaboravit, multa collegerat monumenta, quae ad res populi Mutinensis pertinebant, & in illa ipsa historia locum dedit narrationi rerum illustrium, quae acciderunt ad saeculum usque XII. Neque hoc contentus binis dissertationibus complexus est origines nonnullorum monasteriorum Benedictinorum, quae sparsa erant in agro Mutinensi, hujusque descriptionem. Multa alia postea invenit, quae mirum in modum urbium, & oppidorum universae Mutinensis ditionis historiam illustrabant, de-

que hac scribenda consilium, etsi senior, onus suscepit. Totus fuit in hoc opere, sane laborioso, postremis, quibus vixit, annis, vitamque finivit, antequam voluminis IV. impressio absolveretur. Illarum urbium explicavit originem, quaesivit qui casus, quae fortuna, quae vices fuerint, quid memorabile in iis acciderit, quae in iis viderentur admiranda, quibus paruerint, quot in discrimina venerint, quomodo ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodaverint, &, ut paucis dicam, ea omnia persecutus est, quae investigari solent in hujusmodi historiis conscribendis, ea respuens omnia, quae certissimis monumentis minime consignata erant, quorumque saltem probabilis ratio reddi non poterat. Porro negotium suum agere putabat Tiraboschius, cum Mutinensibus serviebat, non secus ac si penates suos apud eos haberet. Sane voluisset etiam obsequi voluntati eorum, qui postulabant, ut de Episcopis Mutinensibus & Regii Lepidi, de quibus multa jam protulerat in medium, separatim ageret, addebatque animum rei Christianae utilitas. Sed non omnia, quae opta-

bat, assequi potuit, homo licet esset, si quis unquam alius, navus & industrius, exercitatus & diligens, & ad scribendum cum aequabili quadam & eleganti lenitate facilis & expeditus. Tribuebat & multum temporis amicis non solum, sed etiam omnibus iis, qui consilia & judicia de litteris ab eo exquirebant. Eo factum est, ut multi epistolas Tiraboschii vulgaverint, fore sperantes, ut ejus testimonio & laudibus posteritati commendarentur. Hujusmodi epistolarum exemplum habes in ephemeridibus quibusdam Vindobonensibus (1), in quas Josephus Retzerius retulit binas, quas ad se misit Latinas litteras Tiraboschius de vita & scriptis Hieronymi Balbii. Caute haec scribebat, ne aut nimium velificari alicui diceretur, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Quod consequutus etiam mihi videtur, cum an. MDCCLXXIII. edendas Mutinae suscepisset ephemerides lit-

(1) Mercurio Italiano num. VIII. mese d' Agosto 1792.

teratorum Italiae, quas, pluribus adjutoribus, ad annum usque MDCCXC. & ad XLIII. usque volumen perduxit. Procul ab omni metu exponebat quod sentiebat de editis scriptis, sed severitas tanta cum humanitate, tantaque cum reverentia erga eos, qui se litteris dediderunt, jungebatur, ut nemo aequi verique amans ejus judicium recusasset. Cum probavisset consilium eorum, qui de edenda Patavii *Encyclopedia*, ut ajunt, *methodica*, cogitarunt, iis multa suppeditavit, quae ad ornandum opus plurimum valuere. Neque minus liberalis fuit in Academias quasdam, quibus erat adscriptus, Dissertationes ipsis concedens omni eruditione refertas, quod poterat facile, cum omnia exempla majorum, omnes leges, omnem auctoritatem magistratuum, omnes religiones, omneque iter antiquitatis perfecte teneret. Neque ejus studium unquam defuit laudandi egregios viros, prodendique posteris memoriam rerum illustrium Latinis inscriptionibus, quae antiquitatem prorsus redolebant. Quorumdam etiam defensionem suscepit, quod faciebat docte & modeste, cui rei exemplo esse possunt, quae pro Cajetano Marinio exa-

tavit, dum hic surrexit ad dicendum adverſus Petrum Paullum Paolium, qui in inſcriptione quadam a ſe reperta, in qua erat Antimii nomen, Felicem II. Pontificem innui velis remiſque contenderat. Omnino eum tenens curſum, quem a prima aetate ſuſceperat, agendi ſemper aliquid diſcendique, quod cum ſui aliorumque utilitate eſſet conjunctum, tantam conſecutus eſt auctoritatem & famam, ut perpauci illi pares ponerentur. Ad has tantas res, quas geſſit pro bono litterarum, addenda ſunt ornamenta virtutum, modeſtiae, temperantiae, juſtitiae, innocentiae, facilitatis ſingulariſque pietatis ac caritatis in Deum & homines. Sancte & tranquille, & cum omnium bonorum lacrimis deceſſit III. Non. Junii an. MDCCXCIV. ut non minus beata mors illius, quam vita laudabilis omnibus viſa fuerit. Sepultus eſt in ſuburbano Templo SS. Fauſtini & Jovitae, monumentumque habuit a Philippo Joſepho Marchiſio Comite cum inſcriptione, quam fecit Pompilius Pozzettius e familia Scholarum Piarum Ateſtinae Bibliothecae una cum Carolo Ciocchio Praefectus. Uterque tanti viri memoriam poſteritati com-

mendare scriptis editis, vel edendis adlaborant, vix ut nobis concessum esse videatur, ut pauca haec de eodem Latinis litteris consignaremus.

OPERA EDITA

Vocabolario Italiano e Latino del P. Mandosio accresciuto e corretto.

De Patriae historia, Oratio: Mediolani 1759.

Vetera Humiliatorum monumenta annotationibus ac dissertationibus, prodromis illustrata: vol. *III*. Mediolani excudebat Jos. Galeatius 1766. in 4.

De incolumitate Mariae Theresiae Augustae, solemnis gratulatio habita ab Universitate Braydensi: Mediolani 1767. in 8.

Storia della Letteratura Italiana Modena per la società Tipografica 1772-81. vol. XIII. Editio secunda. 1787-94. vol. XVI. cum Indic.

Vita di S. Olimpia Vedova e Diaconessa della Chiesa di Costantinopoli: Parma 1775. in 4.

Lettera intorno al saggio Storico-apologetico della Letteratura Spagnuola dell'Ab. Saverio Lampillas: Modena 1778. in 8.

Vita del Conte D. Fulvio Testi: Modena 1780. in 8.

Storia dell'Augusta Badia di S. Silvestro di Nonantola aggiuntovi il codice diplomatico della medesima, illustrato con note ec. Modena 1784. Tom. II. in fol.

Lettera al Reverendiss. P. NN. Autore delle Anno-

tazioni aggiunte all' edizione Romana della Storia della Letteratura Italiana: Modena 1785. in 4.

Notizie della Confraternita di S. Pietro Martire; in Modena 1789.

Riflessioni sugli Scrittori genealogici: Padova 1789. in 8.

Dell'origine della poesia Rimata opera di Giammaria Barbieri pubblicata, e con annotazioni illustrata ec. Modena 1790.

Elogio storico di Rambaldo dei Conti Azzoni Avogaro: Bassano nella stamperia Remondini 1791. in 8.

Memorie storiche Modanesi col Codice Diplomatico illustrato con note ec. Modena 1793–94. in 4.

Memorie storiche sui primi promotori del sistema Copernicano, e sulla condanna del Galileo, e del predetto sistema: *Extant in vol. VIII. P. II.* della Storia della Letter. Ital. *secundae editionis*.

Memoria sulle cognizioni, che si avevano delle sorgenti del Nilo prima del viaggio di Jacopo Bruce, estratta dal primo volume delle memorie della R. Accademia di Mantova; Mantova 1794.

Nuovo Giornale de' Letterati d' Italia: T. XLIII. Modena 1773 –90. in 12. *Praefuit Tiraboschius huic operi, atque in illud multa retulit de suo: in his*: Notizie e descrizione di un Codice MS. della Poetica del Vida, Tom.

XIV. notizie della vita e dell'opere di Zaccaria Ferreri Vescovo della Guardia Tom. XVI. Notizie dell'Accademia Torinese detta Papinianca Tom. XXXIII. Lettera al Ch. Sig. Ab. Francescantonio Zaccaria sulla inscrizione sepolcrale di Manfredo Pio Vescovo di Vicenza Tom. XXXIX. Risposta al Ch. P. Ab. D. Andrea Mazza sul motivo dall'esilio d'Ovidio Tom. XL. Riflessioni sull'indole della Lingua Italiana in risposta al Sig. Ab. Arteaga, *ibidem.* Lettera di un Giornalista ad un suo Amico sopra un'iscrizione spiegata dal P. Paoli Tom. XLIII.

Lettere erudite ed opuscoli. *Hujusmodi sunt* della invenzione della stampa, *quod opusculum extat in Prodromo* dell' Enciclopedia Italiana, Siena 1779, *epistolae II. editae cum commentario de vita Alexandri Zorzi, quod Vannettus Eques contexuit, emisitque eodem illo anno; epistola de interpretatione psalmorum, quam fecit Xaverius Mattheius, ac demum, ne minime quaeque recenseam, epistolae duae de Hieronymo Balbo, quibus datus est locus in vol. III.* del Mercurio Italiano *edito Vindobonae an. 1792.*

Poesie ed Inscrizioni. *Harum specimen extat in libello, quem Carolus Ciocchius edidit, & inscripsit*; Lettera riguardante alcune particolari notizie de' primi anni e de' primi studj del Tiraboschi.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

Francisco Fontanio

S. P. D.

Si quantum homines ceteris praestare divitiis atque effusis sumptibus student, tantum eniterentur in ingenio optimis ingenuisque artibus excolendo, minime profecto dolendum nobis esset, in ea nunc devenisse tempora; quibus nullus, vel mediocris virtuti habetur honos, risu excipiuntur, quae sacrorum ministri & divinae mentis interpretes injusta & vitiosa esse dicunt, & versuta malitia, & fallaci nocendi ratione excogitantur nova vitae degendae praecepta, novaque gubernandae reipublicae dogmata. Ut ingenium est omnium ab labore & continentia ad lubidinem proclive, crevit adeo cupiditatum dominatus, ut non modo homines, sed & ipsae mulieres, quarum famam ut multorum

oculis lux clara custodiret, sancitum olim fuerat, ut initiarentur eo ritu Cereri, quo Romae initiabantur, nunc agere de licentia triumphum videantur, & quod latere atque abditum esse oporteret, in conspectu omnium ponere minime erubescant. Fuit mos olim in Graecia, ut uxor in convivium minime admitteretur, nisi propinquorum, neque sederet, nisi in interiore parte aedium, quae gynaeconitis appellabatur, quo nemo accedebat, nisi propinqua cognatione conjunctus; qua de severitate licet aliae nationes laxari aliquid voluerint, nullae tamen laudi duxere mulieribus quamplurimos habere amatores, & populo esse spectaculo. Nemo sane dubitabit quin, si feminae essent ejusmodi, ut ab se se eos repellerent, qui ad omne officii munus optime non sunt instituti, & in quorum mentibus semina virtutum minime apparent, multos haberemus adolescentes probos, moratos, omnisque praeclarae artis studiosos. At malo fato nunc plerosque videmus gaudere equis, theatris, omnique ludorum genere, bonam aetatem in levitatibus amatoriis consumere, currere huc & il-

luc ad toedium, si fieri potest, vitandum, tanquam magnum malum libros horrere, ac deridere eos, qui erudiri satagunt, cum ipsi versentur in summa rerum omnium ignoratione. Quid ab his sperare boni Respublica potest, aut potius quid non timere mali? Quare non mentiar si affirmavero, actum fore de ipsius Reipublicae incolumitate, nisi illius Rectores in id praesertim intendant animum, ut & contemptu & poenis deerrantes castigent, ne malo exemplo ceteros corrumpant, & promissis, praemiis, honoribus mature multos excitent ad magna spectanda, & ad ea rectis studiis contendendum. Cum virtutem ejusque cultores ad caelum extulerint, & in honore habuerint, reliqua ex collatione facile est conterere atque consumere. Quia aliquando fuit in magna laude apud Florentinos, dum ii florebant aequis legibus, scire Graecas litteras, teste Politiano, primae nobilitatis pueri .... ita sincere Attico sermone, ita facile expediteque loquebantur, ut non deletae jam Athenae atque a Barbaris occupatae, sed ipsae sua sponte cum proprio avulsae solo, cumque

omni sua supellectile in Florentinam urbem immigrasse, eique se totas penitusque infudisse viderentur. *Nonne praeteritis temporibus multi adeo ex nobilissimis familiis, tanquam ad mercaturam bonarum artium concurrebant ad Pisanam Academiam, ut inglorii illi viderentur, qui in patrio otio contabescebant? Si qui vero minus apti ad litteras excolendas judicabantur, hi minime committebant, ne debitus honos doctis hominibus tribueretur, eorum commoda dignitatemque tuebantur, suppeditabantque iis facultatem augendae sapientiae, comparandaeque gloriae praeclaris editis ingenii monumentis. Iis ad largiendum suppetebant copiae, nostris autem ad luxuriem alendam, ut is amplissimus inter suos numeretur, qui plures habeat servos, currus elegantissimos, quos delecti pueri, Britannis equis insidentes, comitentur, mensas exquisitissimis cibis instructas, & domos non modo nostrati, sed etiam externa supellectile ornatas: Peream si patrum majorumque nostrorum frugalitatem & parsimoniam, non dicam jam in optimatum, sed & in tenuiorum hominum domibus inveneris.*

Non satis tamen laudare queo Riccardios illos, qui memores, quas incolunt, aedes domicilium olim fuisse Cosmi & Laurentii Mediceorum, totque illustrium doctrina virorum, qui erant non modo de delectu, immo vero de sinu complexuque illorum, antiquitatis museo, & omni librorum copia instructissima bibliotheca ipsas ornarunt, eique praefecerunt claros viros, hisque liberalissima subsidia laborum suppeditarunt. Neque minus te laudabo, quod cum meritissimo successeris in Lamii locum, qui iis amplissimis viris quidquid erat se debere grate profitebatur, curasti, ut noti essent omnibus thesauri illi eruditionis magnis laboribus ab illo collecti, qui in eadem bibliotheca, cui praefuit per quadraginta ferme annos, veluti in sacrario quodam conditi sunt; quodque non hoc contentus de scriptis, de moribus, & de tota vita illius volumen implevisti, in quo sane multa industria, diligentia & doctrina comparet. Ex hac copia pauca seligere mihi libuit, ut ea litteris Latinis mandarem, imitans Cornelii Nepotis exemplum, qui professus est paucis se exarasse, quod alii

multis millibus versuum historiae monumentis consignaverant. Quod & tibi faciendum censeo, cum de Lamio ipso, aliisque doctissimis viris dicendum erit in ea, quam paras, Lycei Florentini historia, quae cum prodibit in lucem, non mediocriter tuum & patriae nomen illustrabit. Quare perfice, quod inchoasti, & si qua in re usui tibi esse potero, amicitiae nostrae confidito. Vale.

Ex Meletiano
Prid. Kal. Novembris
MDCCLXXXXV.

Digitized by Google

JOANNES LAMIUS.

Inter philologos hujus aetatis illustres merito quidem numeraveris Jo. Lamium, qui tantum nomen in Etruria maxime sibi comparavit, ut non modo aequalibus suis anteponeretur, sed etiam cum superioribus compararetur. Is natus est VI. Id. Februarii an. MDCLXXXXVII. in oppido, cui nomen Sancta Crux, quod Florentia millibus passuum XXX. circiter abest, patre Benedicto, medico satis docto, minimeque ignaro recentiorum philosophiae, matre autem Clara Stella Baldaccia, cui in liberaliter educando filio (nam admodum puer patrem amisit) neque studium, neque diligentia defuit. Mirabile fuit quantum ingenii vel a prima aetate prae se tulerit, ad quod colendum, cum jam elementa historiae,

& geographiae, & grammatices tum Latinae tum Graecae a bonis praeceptoribus hausisset, ductus est ad Pratense Collegium, quod ab illius conditore dictum est Cicogninum, quodque tum Jesuitae regebant. Favit illi fortuna, quod eo in loco invenerit Jo. Paullum Sebastianium, hominem in instituendo docendoque prudentissimum; sed non satis ille sibi consuluit, quod cum a contentionibus, quibus summis uti solebat in studiis, nihil relaxaret, stomachi dolores, corporisque infirmitatem contraxerit. Accedebat procerum & tenue collum, qui habitus, & quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo. Eo magis hoc eos, quibus erat charus, commovebat, quod a se minime obtinere poterat, si currentem vidisset, quin in eadem laboris constantia, adversante licet gracilitate, perseveraret. Domum illum itaque revocarunt, neque hic, recuperatis corporis viribus, bonum otium consumpsit, cum a patruo Franciscanae familiae homine, qui Ficicli commorabatur, logicen, & elementa geometriae percepisset. Didicerat hic, cum Parisiis esset, garrulam suorum disciplinam con-

temnere, & utilius philosophiae genus excolere, in quo processit adeo, ut Joannes ipsum dignum putaverit, cui locum daret in pinacotheca Italorum doctrina praestantium, quorum vitas declaravit. Neque ex ipso modo scimus per quos viros profecerit, sed memoriae etiam mandavit nihil non egisse Jesuitas, ut eorum Societati nomen daret. Dedisset quidem, ipso teste, nisi cupiditas suae potius, quam alienae voluntati obtemperandi in doctrinarum curriculo illum ab hoc consilio abstraxisset; & dum querebatur nihil a Jesuitis se accepisse subsidii ad Graecas & Italicas litteras excolendas, satis declarabat quanto harum studio flagraret. Cum ad Academiam Pisanam venisset addiscendae caussa juris prudentiae, tanquam de integro exorsus est mathesis & philosophiae studia, frequentavitque Grandium & Taglinium, qui in his disciplinis excellere putabantur; adeo vero se applicavit ad Miglioruccium, virum, sicuti ipse ait, elegantioribus litteris expolitum, minimeque Graecarum litterarum rudem, variae historiae peritissimum, & juris Pontificii consultissimum, ut illum diem se ami-

sisse putasset, quo cum eo ad plures horas domi forisque minime fuisset. Coluit etiam Fabbruccium & Cessinium, qui cum multorum numorum bibliothecam haberet, occasionem suppeditavit Lamio explendi desiderii, quo vel a prima aetate exarsit, multa & varia noscendi. Quam scite vero his subsidiis uteretur, his verbis ille declaravit. *Consuevit autem Lamius, cum studiorum feriae aestivae & autumnales recurrebant, ea, quae in Pisano Athenaeo didicerat, memori animo versare atque recolere: multaque in jus canonicum & civile e mediis philologiae & historiae cum ecclesiasticae, tum profanae campis repetita, ipsisque Graecorum, aliorumque philosophorum fontibus derivata commentari, cum Platonis & Aristotelis in primis, praeter alios omnes vetustos scriptores, adsidua lectione delectaretur. Exhinc autem omnia excerpebat, quaecunque juris utriusque studium illustrare posse arbitrabatur; & quanquam id ab aliis doctissimis viris jam expeditum nosset, tamen & sibi spicilegium relictum fuisse putabat, & melius altiusque suo animo haesura, quae-*

ſunque ipſe ſua ſedulitate notaſſet ac collegiſſet. Niſi extarent in Riccardiana bibliotheca ejus adverſaria, vix credibile videretur unum hominem potuiſſe tam ſedulo, tam aſſidue in tot diſparia ſtudia uno eodemque tempore incumbere. Quare minime eſt mirandum, ſi tanquam induſtriae exemplum proponeretur condiſcipulis ſuis, quibus adeo charus erat, ut ei an. MDCCXVIII. Vice-Rectoratus, ut ajunt, munus una voce, magniſque plauſibus detulerint. Quod in hoc magiſtratu magna tum reſidebat poteſtas, quantum huic detrhaere nonnulli voluerunt, tantum addidere laudibus Lamii, qui ſcriptis ſuis jura Academiae Piſanae ſuique muneris adverſus Piſanos ipſos ſtrenue defendit. Anno poſt a Miglioruccio ſuo inſignia doctrinae accepit, poſt quod forenſem juris prudentiam ſub Franciſco Fabbrinio bono ſane cauſſarum patrono Florentiae colere coepit; ſed hujuſce ſtudii pertaeſus, in quo nihil ineſſe ſuavitatis ſtatim vidit, totum ſe ſe dedidit Antonio Mariae Salvinio, unum id agens, omiſſis ceteris occupationibus, ut, tanto viro duce, ad interiores reconditioreſque

litterarum Graecarum fontes, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat, penetraret. Ipso suasore, Lexicon Graecae originis vocum, quae in Italicam linguam invectae sunt, conficiendum suscepit. Neque se continuit in ipsis interpretandis, & etymologiis quaerendis, quod non difficile fuisset, sed majus quiddam animo complexus, ex ipsis verbis occasionem sumpsit explicandi omni eruditionis copia res, quae ab iis exprimuntur. Sic, ut unam exempli caussa ponam, quae de Sibyllis earumque versibus & libris dicta sunt a veteribus, quidque credibile videatur, paucis comprehensa habes eo loci, quo ex binis Eolicis verbis *Deum & Consilium* significantibus unum Sibylla coagmentatum docet. Dum in his concinnandis Praeceptoris voluntati aliquid indulsit, sibi autem omnino satisfecit metaphysicum argumentum tractans *de mente humana*: nam videri volebat se ea omnia nosse, quae aut recte, aut prave ab antiquis praesertim philosophis tradita fuerant de incorporeis rebus, deque iis corporibus, quae sensum habere dicuntur, seque artem tenere seriem mul-

tarum rerum sic explicandi, ut ex alio alia nectantur, vimque assentiendi afferant. Egit etiam separatim & copiose de brutorum animalium anima, sed haec, quae commemoravimus, omnia minime in vulgus edidit. Attulit quidem ad coetum illum doctorum virorum, qui Apathistae dicebantur, & in quem ipse vel ab eo tempore, quo erat Pisis studiorum caussa, cooptatus fuerat, dissertationes binas, Latinam alteram de harmonia Platonis dogmata maxime explicans, Italicam alteram de verbis similiter desinentibus, diligentissime inquirens in ea, quae memoriae, & scriptis sunt prodita ad definiendum tempus, quo mos hujusmodi verbis terminandi versus in Italicam poesim invectus est. Mens illi fuit dilatare, quae tum coangustaverat, sed accidebat saepe, ut e manibus deponeret, quae magno cum ardore inchoaverat, vel imperfecta relinqueret. Omnino aditum propter rei familiaris angustias sibi patefacere volebat ad aliquod munus, & ab spe ferme exclusus locum impetrandi inter Pisanos juris prudentiae magistros, quod summis precibus postulaverat, vidit facile obtinere se

posse, ut caussarum judex adesset uni eorum, quibus praefecturae oppidorum Etruriae deferri solent, dummodo jura illa teneret, quae ad criminum vindicationem pertinent. Huic itaque juris prudentiae generi dedit operam, & exercuit in S. Geminiani oppido. Sed brevi sensit miserrimum omnino esse cum nocentibus hominibus rem habere, & ex aliorum calamitate lucrum quaerere, cumque minime defuissent, qui illum accusarent, in damnando homine multis licet turpis criminis testimoniis convicto aliquid contra leges commisisse, postquam diligentissime caussam suam defendit, ne amplius malevolorum malitia in discrimen existimationis veniret, illo se munere abdicavit, & ad mansuetiores musas rediit, a quibus fortunae iniquitate vel ad breve tempus se abstractum fuisse vehementer doluit. Tum ad praeteriti temporis sarciendam jacturam frequenter in publico proponebat carmina tum Latina, tum Etrusca, satis bella quidem; fundebat etiam illa ex tempore in amicorum corona; multa colligebat, quae ad Florentinam historiam, praesertim Ecclesiasticam, pertinebant; diligenter inqui-

rebat monumenta antiquitatis, explicabatque interdum in Columbaria, uti vocabant, Societate; demum, ne singula persequar, cum ad Apathistas suos veniebat, ludus illi erat de omni proposita quaestione ex improviso dicere, & ad eam verbum fortuito a puerulo, cui Sibyllae nomen dabatur, pronuntiatum accommodare. Cum ipsum aliquando audiisset Salvinius, & admiratus esset verborum & eruditionis copiam, & in inveniendis componendisque rebus facilitatem, & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem, gratulans & ludens haec dixisse fertur:

Multa expiscaris mentis praedivitis hamo:
Nomine habes, Lami, consona facta tuo.

Porro bene de nomine ac dignitate Mediceae familiae meritam fuisse judicabis Violantem Beatricem Etruriae Principem, quae ut se se oblectaret illis Bacchanalibus feriis, in regiis aedibus convocabat Apathistarum coetum, exigebatque a Lamio, vel ut interpretis munere in illo Sibyllae ludo fungeretur, vel ut aliquid arbitratu suo promeret, cum suum de

illius ingenio notissimum esset judicium, neque obscura benevolentia. O generosam, inquies, stirpem, & tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum, & vel feminarum insitam atque illuminatam sapientiam! Cum in hujus familiae laudibus hoc ponere soleret Lamius, quod per eam vel ab antiquissimis temporibus in Etruria floruissent Platonicae philosophiae studia, per quae plurimum infirmata fuit Scholasticorum tyrannis, sibi, patriae suisque dominis se servire putavit, si in illo non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimo auctore & magistro Platone interpretando omnem suam operam collocasset. In illius vita declaranda non tam narrator rerum, quae cum eo commune aliquid habere potuissent, esse voluit, sed etiam explicator omnium illius dogmatum atque sententiarum, judicium saepe interponens suum ad ea patefacienda, quae cum ordine & ratione vacent, mentita & falsa esse judicare possumus. Ad id conscripsit opus, quo, multis allatis argumentis, probare conatus est, vix, ac ne vix quidem Platonicam philosophiam a Christiana dissidere, & utriusque

sententias ac praecepta dum refert, atque inter se comparat, non solum philosophus, sed etiam theologus judicari voluit. Verum non tam mihi videntur injuriam facere theologiae, qui disputant num Plato Trinitatem & Verbum Aeternum noverit, quam si cujus aures ad hanc disputationem pateant, & genus quidem institutorum illius, quanquam multa praeclara, & salutaria etiam ad vitam regendam, & rem publicam administrandam contineant, est hujusmodi, ut non immerito a Tertulliano dictum fuerit, *Platonem omnium haereticorum condimentarium factum*. Illa fortasse potiora putabis quae Lamius scripto mandavit de origine & progressu philosophiae, ut illius vestigia ac prope incunabula apud Hebraeos, Chaldaeos atque Aegyptios reperiret, utque lectores suos convinceret, minime dedecere Christianum hominem, quin immo maxime interesse illi, ut hac scientia polleat. Saepe is habebat in ore veram illam Platonis vocem, omnem doctrinam humanarum divinarumque rerum, atque ingenuarum artium uno quodam societatis vinculo contineri, omniumque quasi consensum concen-

tumque esse debere, quare cum proponendum illi esset, quid sentiret de universa theologia & morum scientia, e fontibus suam deducebat orationem, & non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum reprehendebat opiniones, qui quae complecti tota nequeunt, haec divulsa & quasi discerpta contrectant, & tanquam ab animo corpus, sic ab iis disciplinis philosophiam sejungunt. Perspici quidem poterat quam varia & multiplex esset in illo doctrina ex iis, quas ad Apathistas suos afferebat, dissertationibus; dixit autem paucorum mensium spatio de Christianorum agapis, de antipodibus, de quibus librum edere meditabatur, de orbium, ut ajunt, pluralitate, ac postremo coram Violante Beatrice Medicea de utilitatibus, quas feminae optimis artibus disciplinisque attulerunt. Post id, remotis ceteris studiis, quamvis ea essent ampla & praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes & dies consumpsit, quod suscepit ad convincendos erroris & calumniae Joannem Clericum aliosque haereticos, ac praesertim Socinianos, qui affirmare minime dubitaverant: *Nil aliud decer-*

Digitized by Google

nere placuiſſe Nicaenis Patribus, qui Ario Alexandrino, cum cauſſa cecidiſſet, opinionis veritatem abjudicarunt, quam non in tres diverſae ſpeciei naturas, ut ille contendebat, Divinitatis gradus diduci, verum tribus ejuſdem formae & aequalis ordinis eſſentiis univerſam illius diſtributionem contineri. Quidquid a teſtibus locupletiſſimis affirmatum, ab probatiſſimis ſcriptoribus memoriae proditum, & a recta certaque majorum opinione per manus traditum omniumque aetatum conſenſu confirmatum fuit diligentiſſime inveſtigavit Lamius, ut probaret eam fuiſſe Nicaenorum Patrum fidem, quae tres divinas Hypoſtaseis unum eſſe numero conſtanter crederet, perſpicueque enuntiaret. Tali modo poſtquam omni erroris ſuſpicione, illos liberavit, extremo in libro numerat haereticos illos, qui plures eſſe Deos docuere, & a recta de Deo Trino & Uno catholicae Eccleſiae ſententia Tritheiſmum, ut ajunt, ſpirantes diſceſſere. Quanquam Dionyſius Petavius Socinianos Crelliumque inprimis confutaturus, ſuo more doctiſſime Nicaenos Patres, & qui conſecuti ſunt defenderit, maculis tamen quibuſdam adſper-

sisse visus est illos, qui eosdem aetate antecessere, quod intolerandum adeo visum est Lamio, ut nervos suos omnes contenderit, quo persuaderet sex primis Aerae Christianae saeculis Patres omnes recte de divina Trinitate sensisse, tanta quidem eruditionis & argumentorum copia, ut in furore animi, & in caecitate ii versari judicandi sint, qui secus existimarunt. Jam in eo erat, ut opus summa industria elaboratum typis committeret, cum mense Novembri an. MDCCXXXVI. Genuam concessit, ut Joanni Lucae Pallavicinio esset a bibliotheca. Non adeo illi molestum fuit hanc profectionem suam reprehendi ab amicis, quam jucundum se habiturum instrumenta ad augendam sapientiam, quod quia debebat officiis Jo. Baptistae Caraccioli, hominis doctrina & genere clarissimi, qui tum Florentiae commorabatur, quique postea Pisis philosophiam & mathesin docuit, ei in perpetuum se fore obligatum declaravit. Verum dum nihil illi deesse videbatur ad commode & tranquille vivendum, exsorbere molestias debuit, quas illi exhibuit nobilium feminarum grex, quae in eo se ab illo laesas fuisse

di-

dicebant, quod in quadam controversia, quae fuerat inter Franciscum & Catharinam Pallavicinios, adversus hanc tulisset sententiam. Disputabatur enim, utrum pluris faciendus esset, qui multa sciret, & breviloquens esset, an qui mediocriter eruditus copiose & abundanter diceret. Praetulit huic illum priorem Lamius, & quod in libera civitate ii maxime laudantur, qui possunt de maximis quaestionibus copiose ornateque dicere, facile fuit loquacibus feminis multorum odium in illum concitare. Tulit id ille acerbissime, & nisi novem post menses oblata illi fuisset a Pallavicinio occasio una cum illo peragrandi Germaniam, profecto in patriam rediisset. Maximas ex hoc itinere ille percepit utilitates, sive bibliothecas, sive musea, sive doctos homines inviseret, & frequentaret etiam, cum sibi potestas dabatur. Ex bibliotheca Vindobonensi plura in rem suam seposuit, & librorum helluo eos praesertim legebat, quos aut nunquam viderat, aut extare omnino ignoraverat. Erat saepe cum Apostolo Zeno (1),

(1) *De Zeno haec narrat, quae memoratu digna pu-*

çum Petro Jannonio, cujus *critico & audaci ingenio* plurimum se delectatum fuiſſe ait, cum Pio Garellio, ceteriſque, qui illam urbem & Caeſaream aulam decorabant. Frequentabat etiam nobilium hominum menſas, ſolitus & edere & bibere ἀδέως & jucunde; honorabatur vero non ſolum ab iis, qui aliquid percipere atque audire ſtudebant, ve-

---

tamus. Quum Carolus VI. Auguſtus Muſeum Nummarium Carthuſianorum, qui Romae habitant, empturus eſſet, Sanctem Bertolium Romam ob hoc ipſum miſit, qui una cum Sebaſtiano Paulio Lucenſi, Clerico Regulari Congregationis Deiparae, illum ſibi theſaurum compararet, conſilio potiſſimum uſus Apoſtoli Zeni Poetae ſui. Alte propterea doluere Garellius & Panacia, quod quum unus Bibliothecae, alter Gazae nummariae Caeſaris praefectus eſſet, ſe omnino inſciis, hoc negotium a Caeſare ſuſceptum eſſet. Bertolius igitur celandi arte praeſtantiſſimus, ſed veterum Numiſmatum cognitione non adeo praecellens, Romam profectus, Muſeum Carthuſianorum florenis XXV. millibus emit, & Vindobonam

rum etiam si qui forte simulabant. Totos sex menses Vindobonae fuit, inde Venetias concessit, invisit etiam universam ferme Cisalpinam Galliam, neque est credibile quot undique collegerit rerum maximarum notitias, quemadmodum ex ejus ephemeridibus, quae extant, conjici potest. Venetiis quoque egit cum typographo Recurtio de edendo opere

---

transfert. Quum Garellius & Panacia recens quaesita numismata considerassent, plura inter ea falsa & adulterina deprehenderunt, & Granellio Jesuita, rei nummariae peritissimo judice electo, Bertolii & Paulii imperitiam socordiamque cum dictis, tum scriptis traduxerunt, Augustumque ab eis & a Zeno deceptum & circumventum praedicarunt. Hinc magna simultas inter utrosque orta est, & quum Garellius apud Caesarem plurimum posset, Bertolius, Paulius, & Zenus censurae passim obnoxii fuere, & a Caesaris existimatione non parum deciderunt, id quod in causa fuit cur Zenus tandem honestam missionem petierit, & Venetias reversus sit, & in ejus locum Petrus Metastasius suffectus.

de Fide Nicaenorum Patrum, quod an. MDCCXXX. praestitum est. Totum hoc argumentum accuratius explicavit, dum Vindobonae fuit, & in opus ipsum addidit plura, cum secundo illud an. MDCCLXX. Florentiae edidisset. Quas viderat urbes magis magisque commoverant in illo desiderium novas sibi comparandi externas merces, cumque sequi Pallavicinium in maritimo itinere, quod Melitam versus suscepit, recusasset, ipse sibi consuluit, & postquam aliquot dies Genevae fuit, in Galliam concessit. Lugduni operam praesertim rei numismaticae dedit, inde remeare in Italiam deliberavit, quod deerat pecunia ad longius progrediendum. Subsidia fortasse habuit ab Rainerio de Ilcio, qui pro Pontifice Avenionensem provinciam gubernabat, cuique Lamius munus obtulit Italicae interpretationis a se factae scriptorum Novi Foederis, & nescio cujus Latini poematis. Tum poema aliud scribendum suscepit, ut Rutilii Numantiani exemplo notam faceret omnem rationem dierum atque itinerum suorum. Ad tres fere menses Massiliae commoratus est, postquam inviserat omnia Roma-

nae antiquitatis monumenta, quae circum ea loca sunt, ibique ut angustiis suis prospiceret, & desiderio satisfaceret novas visendi terras, nomen militiae dedit. Hyemabat in Belgio cohors Itala Regia, in quam conscriptus fuerat, ad quam cum iter dirigeret, Lutetiam mense Novembri an. MDCCXXIX. pervenit. In ipso itinere, cum audiisset Galliae Regem auctum filio Regni herede fuisse, Latinum poema condidit, quo per recens natum rem Gallicam publicam summam fore, adversantibus licet inferis Diis, auguratur. Fata pueri cecinit secundo in libro, narravitque quot modis Galli suum gaudium declararunt. Captus Lutetiae pulchritudine, & abundantia & copia rerum, quae ad scientiarum ingenuarumque artium cultum conducunt, exsolvi militiae sacramento concupivit, ut libere in ea urbe remanere posset, quod facile obtinuit per eum, qui Magni Etruriae Ducis negotia procurabat. Quae videret in ea, quam frequens esset in bibliothecis, quam versaretur in ore doctorum hominum, & eorum praesertim, qui Maurini dicebantur, quam diligentem operam daret rei numismaticae, di-

plomaticae, & chronologicae, quam assiduus esset in historia quadam chronologica contexenda, quae omnium aetatum eruditorum hominum rerumque illustriorum tempora notaret, & quam saepe rediret ad opus, quod antea inchoaverat, *de recta Christianorum in eo, quod mysterium Divinae Trinitatis adtinet, sententia*, & a quo nominis immortalitatem sperabat, ipse declaravit vel ad amicos scribens, vel in Ephemerides referens hujus itineris summam. Quod vero ad opus illud theologicum pertinet sex in libros divisum, editum Florentiae an. MDCCXXXIII. adeo fines illius dilatavit Lamius, ut quaerendum sibi putaverit quam de Trinitate notitiam habuerint Hebraei, quid ab iis hauserint Aegyptii & Chaldaei, aliique orientis populi, unde Plato didicerit quae de Deo, de Verbo, & de Trinitate mirabiliter, si multos audis, effatus est, qua in re ab eo veteres Christiani dissenserint, ac demum quid hi divinitus instructi constanter retinuerint, nobisque retinendum docuerint. Non satis erat Lamio quod sibi proposuerat probare: omnes eruditionis latebras peragrabat, nihil ut fere

aliorum industriae relinquere velle videretur (1). Atque in hoc opere dum erat occupatus, relaxandi animi caussa casus Telemaci mirabiliter a Fenelonio narratos in Italicam linguam convertit, & illud suum poema genethliacum expolivit. Satyras etiam usque quatuor adversus Rullum quemdam versibus Italicis confecisse dicitur, quia natura illius ad irascendum proclivis minime ferebat se desertum ab homine provinciali fuisse, a quo sustentari debebat. Postquam biennium Lutetiae fuerat, Bataviam invisit, & ad suos remeavit ineunte vere anni MDCCXXXII. spe-

(1) *In ipso ingressu libri* de Eruditione Apostolorum *dum Auctor narrat quibus temporibus, quibusque in locis opus, de quo diximus, composuerit, refert quas huic laudes, mirificas illas quidem, tribuerunt Jacobus Brukerus, Scriptores Actorum Eruditorum Lipsiensium, & Scipio Maffejus*, qui omnes in eo consenserunt, effecisse Lamium, ut nemo amplius dubitare possit Joannem Apostolum doctrinam de λογω divino a Platonicis minime sumpsisse.

rans praemia laborum se facile impetraturum. Sed quoniam tanto viro inimici deesse non poterant, & horreret ipse eas artes philosopho indignas, quibus captare potentiorum benevolentiam nonnulli solent, simul atque vidit obstructum sibi aditum fuisse ad Academiam Pisanam, (munus enim Ecclesiasticae historiae docendae petierat) de iterum deserenda Etruria cogitavit. Sed minime passus est Vincentius Maria Riccardius Senator amplissimus tantam virtutem in alienis terris amplius peregrinari, praefecitque ipsum satis honesto stipendio domesticae suae bibliothecae, ac studiosissime curavit, ut muneri praeesset docendae Ecclesiasticae historiae in Lyceo Florentino. In hoc obeundo declaravit discipulis suis minime sibi propositum esse omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris solent, in os inserere: haberent ipsi probatissimum scriptorem, quem diurna nocturnaque manu versarent, dum interea ipse ex cujuslibet saeculi historia praecipua quaedam capita selecturus erat, quae diligenter examinaret, & ad severioris critices praecepta perpenderet. Non facile quidem reperisses, qui hoc exple-

Digitized by Google

re munus illo melius potuisset. At dum vel e superiori loco asperius interdum loquebatur, immo fortasse liberius de hominibus, qui vel doctrinam, vel virtutem simulabant, multorum calumnias exorbere debuit, usque eo, ut ipsum violatae religionis reum facere vellent. Quia vero iis temporibus magnum erat Josephi Averanii nomen, magna opinio ejus probitatis & doctrinae, dolere debuit Lamius se laesum fuisse vel ab homine, qui famam fortunasque multorum defenderat. Rem ita ille narrat. *Interim vero hoc eodem anno* MDCCXXXIII. *paret liber de recta Christianorum fide, & per omnium manus circumfertur, cujus exemplar & Josepho Averanio donavit, qui turbarum magnarum caussa fuit. Diximus jam alias ab Averanio Lamium non fuisse amatum, & variis quidem de caussis, qui cum Lamius honoris caussa ad eum adversa valetudine laborantem accessisset, ut ad orationem, quam pro auspicando suo Professoris Ecclesiastici munere habiturus erat, audiendam invitaret, ab eo rustice & inciviliter exceptus, addita querela, est, quod tot juvenes Professores*

Digitized by Google

in seniorum locum, veluti fungi succrescerent. Lamius id quidem dissimulaverat, neminique retulerat, & ut malum bono repensaret, Gabriele Riccardio monente, librum illum suum ei dono misit. Ille lectulo suo recumbens, librum totum curiosius evolvit, & perlegit, & lib. V. Cap. X. offendit ita inscriptum: De Joannis Evangelistae rusticitate & imperitia. Opportune hinc ansam arripuit Averanius suum in Lamium odium exerendi, exercendique, titulum illum quasi impium criminans, qui Evangelistae rusticitatem & imperitiam adfingeret. Vix is classicum cecinerat, omnes ejus amici, & quidem plerique viri docti & eruditi in ejus sententiam ire, titulum illum damnare, vituperare Lamii audaciam, plerosque omnes in suas partes adtrahere, ipsos Lamii amicos persuadere ac subvertere, turbas per vulgum & simplicem multitudinem excitare. Lamius calumniarum, quae suam religionem & pietatem adpeterent, impatiens, se modeste defendere, phrasibus se usum a SS. Patribus adhibitis demonstrare, ipsas divinas litteras sibi favere, seque pie & convenien-

ter titulum Capitulo adposuisse vociferari. At in cassum semper: nam apud rudem multitudinem, & etiam apud cultiores interdum plurimum valebat Averanii amicorumque auctoritas, quales quidem erant Virginius Valsechius Abas Benedictinus, & in Pisano Athenaeo Historiae Sacrae Professor, Salvatorius Advocatus Florentinus, aliique Pisani Doctores, qui omnes Averanio palpum obtrudentes, propriae existimationi juniorum famam destruendo velificabant. Haec ille. Jam si quaeris caussam quare non bene animatus fuerit Averanius in Lamium, illam repetendam censeo ab iis temporibus, quibus hic operam juris prudentiae Pisis navavit; nam cum se totum dedidisset Miglioruccio, qui non modo paribus, sed etiam superioribus saepe vehementer invidebat, haud effugere potuit suspicionem cum praeceptore consensisse ad detrahendum aliquid de fama hominis, de quo sic praedicabatur, necesse esse aut invidiae, aut infirmitati assignari quidquid de eo detrahebatur. Ad convincendos vero vel erroris, vel calumniae adversarios suos an. MDCCXXXVII. opus vulgavit, quod

inscripsit, *de Eruditione Apostolorum*, quo totum id complexus est, quod conducere posse videbatur ad probandum Apostolos fuisse imperitos, omnisque rei litterariae rudes ignarosque, non eos modo, sed & eorum sectatores parentibus natos fuisse humilibus, minime adhibuisse amanuenses scriptorum veterum litterate peritos, qua occasione judicat de stylo, illo quidem vario, scriptorum, ex quibus Novum Testamentum componitur, deque hujus codicibus, qui Florentiae extant. Disseruit etiam de vestibus, quae propriae fuerunt antiquiorum Christianorum, & omnino illud confecisse videtur, quo sunt humiliora & abjectiora instrumenta, quibus Deus usus est ad disseminandam Christianam Religionem, eo magis apparere divinam illius originem, & divina illa dona, quibus ipsi Apostoli per *Spiritum Domini* cumulati fuere. Non libet omnia ab eo docte & erudite explicata persequi, quod longum nimis esset. Castigemus potius impudentiam cujusdam Atromi Traseomaci Calabri, qui, sex editis litteris, ea sic reprehendit, quasi errorum plena essent omnia. Collegit multa acute & ridicule

Digitized by Google

Lamius, cum adversus hunc binas an. MDCCXXXXII. emisisset epistolas, quae non modo ingeniosos homines & intelligentes, verum etiam quemvis eorum, quos idiotas appellare solebat, delectare possunt. At non propterea ejus siluerunt adversarii, inter quos audacia & insolentia eminuit Leo Pascolus Perusinus, nec siluit ipse reprehensionum impatiens. Triumphare vero de iis se posse putavit, si secundo opus edidisset, commentariis, rebusque aliis auctum, quod praestitit an. MDCCLXVI. Disseruit praesertim de artibus, operibus & occupationibus civilibus primitivorum Christianorum, de honoribus, muneribus & dignitatibus, quas habuerunt, de omni eo, quo uti solebant ad scripto aliquid mandandum, & ad monumenta prodenda, cumque rediisset ad praecipuum operis caput, ostendere nititur, post medium licet saeculum II. plures Christiani fuerint doctrina & eruditione praestantes, nullos tamen, aut perpaucos admodum ante hoc tempus extitisse litteris excultos. Demum in ea dissertatione, quam quasi operis appendicem esse voluit, pluribus egit de linguis, quibus scriptum fuit

Novum Testamentum, probavitque Apostolorum aetate in universa Romanorum ditione communem usum fuisse Graecae linguae, ac praesertim Hierosolymae, & in Judaea; nullum hujus gentis hominem, ut & Palestinos Christianos Latinam linguam adhibuisse, ac propterea, uno excepto S. Matthaei Evangelio, & fortasse S. Paulli epistola ad Hebraeos, nullum extare in Novo Testamento scriptum, quod non Graeco sermone exaratum fuerit. Suo more, hoc est eruditissime & copiose discutit, num Graecae originis fuerint S. Paulli amanuenses, & quae illa aetate esset lingua Africanorum, Hispanorum, Celtarum, atque Gallorum. Porro homini, cui propositum erat obscuritatem a rebus abducere, infirmitatem in judiciis tollere, hominum imbecillitati mederi, ii omnes adversari debebant, quos suorum adeo delectat error, ut ad quodvis maleficium impellantur, dum ne iis eripiatur. Quis putaret Lamium reprehensionem minime effugisse irreligiosi hominis, idcirco quia negavit caelesti manu minime pictam fuisse imaginem B. M. V. ab Angelo Salutatae, quae maxime colitur a populo Florentino?

Digitized by Google

Non vos puduit, homines levissimi; Soldani, & Laderchi, tantas in eum excitare turbas, hac tantummodo de caussa, quod in Cap. XI. operis *de Eruditione Apostolorum* is affirmaverat minime ante finem secundi Aerae Christianae saeculi, vel initium III. disseminatam Florentiae fuisse Christianam Religionem? His quoque potentiores molestioresque adversarios habuit Lamius, quibuscum manus consereret. Fuit aliquando tempus, quo Jesuitae magnas in Etruria ac Florentiae praesertim commoverunt rixas, vel quia insectabantur Pisanos Magistros, qui Aristotelis castra deseruerant, vel quia aegre ferebant prae suis maxime frequentari scholas hominum Scholarum Piarum, vel quia minus in se amico esse animo putabant omnes eos, qui cum generis nobilitate praestarent, ingenio quoque & doctrina ceteris antecellere adlaborabant. Oderant & eos, qui litteratorum coetus frequentabant, & praesertim Apathistas Academicos, neque ex his deerant, qui paria paribus responderent, sic ut omnis civitas in partes duas divisa esse videretur. Initio Lamius ita se gessit, ut nemini ullam de se

suspicionem praebuerit, sed ea postea acciderunt, caussa cujusdam adolescentis nomine Masii, qui sibi erat a studiis, quemque Jesuitae subornaverant, ut parum abfuerit, quin per eum summam in invidiam traheretur. Illum ab se dimisit, atque hinc inimicitiarum origo. Prodierunt interea *L. Sectani Q. Fil. de tota Graeculorum hujus aetatis litteratura ad Gaium Salmorium Sermones quatuor, Genevae* 1737., qui quod essent scripti elegantissime, & multo sale ad carpendos doctissimos Florentinos viros aspersi, ad omnium fere manus pervenerunt. Nihil enim est tam volucre, quam maledictum, nihil libentius excipitur, nihil latius dissipatur. Fuit tum opinio illos scripsisse Jesuitam Venturium, opem ferente Lagomarsinio, sed ejus collegae Alexandrino Cordarae tribuendos esse nunc inter omnes constare video. Quanquam negarent Jesuitae omnes haec a suis prodiisse, dissimulare tamen haud poterant eorum exultantem laetitiam, quasi agerent de inimicis triumphum. Ad illam comprimendam, laudesque vindicandas tot illustrium virorum, quos Sectanus ille male habuerat, Salvinii, Lamii, Corsinii, Bon-

Digitized by Google

Bondelmontii, Nicolinii, Cocchii, Ursii, Gorii, Riccii, Biscionii, aliorumque id genus plurium, sub Cesellii Philomastigii nomine Italicum Psillum paucos post dies apparuit, cujus lepidi amarulentique carminis hic titulus fuit: *I Pifferi di montagna, che andarono per sonare, e furon sonati: Ragionamento I. di Cesellio Filomastige; Leida appresso gli Eredi degli Elzeviri*. Non est credibile quanto cum plausu carmen istud exceptum fuerit, ut de illo iterum imprimendo cura suscepta fuerit. Jesuitae autem primum despicere, mox publice privatimque serere dicta plena stomachi ac querelarum, & quod ex officina Lamii illud prodiisse suspicati sunt, minime illius dignitati pepercere. Hic quidem latens sub Clementis Binii nomine, ut paria paribus redderet, Latinam satyram composuit, quam Binius ipse in Apathistarum Odeo, plaudentibus mirum in modum Academicis omnibus, recitavit. Tum fuere sapientes homines, qui sedare iras adlaborarunt, sed cum an. MDCCXXXVIII. in vulgus editus fuisset *L. Sectani Q. Filii ad Gajum Salmorium Sermo V.*, illa, quae consanuisse videbantur,

recruduerunt, quamquam Satyrae scriptor multa leniverit, quae asperius in superioribus protulerat. Emissa itaque eodem illo anno fuit *M. Thymoleontis adversus improbos litterarum, bonarumque artium osores Menippea I.* quae quod maledicta omnia in Jesuitas aspere, atque ferociter dicta continebat, minime effugit Magistratuum censuram & incendii poenam. Ad hanc obtinendam sane plurimum valuere quae Thymoleon adversus Josephi Averanii scripta, & ejus studiosissimos sectatores, qui plurimi & gratiosissimi erant, dixit, & aegerrime is quidem tulit, quod cum liceret impune adversus illos majorum gentium scriptores Scaligeros, Salmasios, Casaubonos, Clericos scribere, grande piaculum haberetur adversus Averanium calamum stringere. At non propterea is siluit, cum Menippeam II. quadriennio post vulgasset; ex eo vero conjicere facile poteris minime factum illum fuisse ad linguam comprimendam, quod totum prooemium capitis XIII. libri *de Eruditione Apostolorum* confutationi Satyrarum L. Sectani assignavit. Quare minime est mirandum si ad opus ipsum & Auctorem la-

cerandum multa conficta fuerunt, & in vulgus sparsa. Dum Jesuitae a Thymoleonte ferventi aqua perfundebantur, Andreas quoque Bonduccius, & Mamacchius Dominicanus homo satyras adversus eos confecerunt; sed hae minime prodierunt. Ut vero judicium nostrum interponamus de L. Sectani, & Thymoleontis satyrarum elegantia (rem enim improbamus) sunt illae quidem litae ingenii luminibus, multa habent lepide, facete salseque dicta, instant, percutiunt, feriunt, feliciter, quod volunt, exprimunt, nihilo tamen minus magis redolere antiquitatem mihi videntur quae Sectano filio tribuuntur, quanquam luce paterna plurimum obscurentur. Vel ex eo tempore, quo Florentiam remigraverat Lamius, consilium cepit in lucem edendi multa, quae latebant in bibliothecis, antiquitatis monumenta, ex quo fructus uberes, qui rei diplomaticae operam dabant, laturos sperabat. Edidit itaque an. MDCCXXXVI. Volumen I. *Deliciarum Eruditorum* (sic enim opus inscribitur) in quod cum retulisset epistolas quasdam Michaelis Glycae, qui Graecorum schisma secutus fuerat, cum sua Latina interpre-

Digitized by Google

tatione, ex hac occasionem arripuit Angelus Maria Riccius Graecarum litterarum in Lyceo Florentino magister ipsum culpandi, quod multa male interpretatus esset. Sic enim ulcisci dolorem suum voluit, quod in loco quodam illius voluminis Lamius aperuerat a Combefisio multo antea editam fuisse Homiliam quamdam de B. M. V. Nativitate, quam Riccius ineditam putaverat, & idcirco cum sua interpretatione vulgaverat. Quod nemo impune unquam laesit Lamium, hic in secundum operis volumen *Prologum Galeatum* intulit, quo non modo se reprehensionibus liberavit, sed accusatoris etiam personam capiens, multos patefecit errores, quibus suas Riccius interpretationes, & Aesopianam praesertim commaculaverat. Haec aculeum in animo illius reliquerunt, & quia non deerant eidem patroni amplissimi, cum his egit, ut sibi aliisque multis molestus homo Florentia removeretur. Oblata illi itaque fuit Cathedra Historiae Ecclesiasticae in Academia Pisana, quam alias frustra petierat; sed illam tum recusavit, cum se Riccardiis suis adeo obstrictum diceret, ut ab iis nullo modo divel-

li potuisset. Cum saepe vero rediret ad illas suas Eruditorum delicias, XVIII. usque harum volumina confecit, diversis edita temporibus, dumque illustrabat eruditissimis praefationibus monumenta, ex quibus erant contexta, & vitas illorum, qui ea litteris mandaverant, non solum antiquitatis studiosis, sed sui gloriae mirum in modum prospexit. Atque ut unam rem exempli caussa ponamus, quid ceteris reliquum fecit, cum de Glyca, de Maximo Margunio Cytherorum Episcopo, de Leone Urbevetano, de Laurentio Bonincontrio Miniatensi, de Jeremia II. Patriarcha Constantinopolitano disseruit? Quam multa declarat, quae cum iis commune aliquid habere videbantur? Multis versuum millibus perpendit num veteribus ethnicis prorsus ignotum fuerit dogma corporum resurrectionis; quantique sint momenti, quae ad illud vel oppugnandum, vel explicandum nonnulli somniarunt, idcirco quia Glyca pauca hac de re tetigerat. Dedit quoque locum in iis voluminibus narrationi itineris, quod ipse fecerat una cum Philippo Elmio Pisas versus, ob quam rem Oedeporicon appellavit quatuor volumina, quibus illa

continetur. Ex his cognoscere poteris unde S. Miniatis urbs, Emporium, S. Crux, Castrum Francum, Ficiclum, aliaque oppida, prope quae fluit Arnus, orta sint, quae in iis memorabilia acciderint, a quibus, & quo tempore monasteria & templa habuerint, qui homines vel doctrina, vel sanctitate illustres in iisdem floruerint, quae fuerint nobiliorum quarumdam familiarum propagines, resque praeclare gestae, & alia hujusmodi plura; nunquam vero satis laudabis antiquitatis amatorem, qui ex publicis privatisque tabulariis protulit in lucem id omne, quod historiam civilem, ecclesiasticam, & litterariam non solum illorum locorum, sed universae ferme Etruriae plurimum illustrat. Erant etiam oppida complura alia, quae adire, quibusque hoc munus tribuere volebat, quod tamen aliis occupationibus impeditus minime praestitit. Supersunt vero multa, quae in hanc rem paraverat, ut de eo vere dici posse videatur, nullum extitisse, qui tot labores insumpserit in antiquitates Etruscas, maximeque sacras explicandas. Veniebat saepe ad Furfureorum Academiam cum hujusmodi muneribus, ex iisque An-

dreas Bonduccius Typographus Florentinus bina volumina confecit, quae edidit an. MDCCLXVI. Continent haec XVIII. Dissertationes, quarum octo ad originem pertinent Florentiae, quam refert ad veteres Etruscos, &, si vis etiam, ad Phoenicios, eos oppugnans, qui contra sentiebant. Quae vita, qui mores, quae instituta populi Florentini fuerint, dum in Italia Longobardi regnabant, per quos viros, quibusque artibus domi militiaeque potentiam auxerit, sex dissertationibus explicavit, quatuor autem complexus est errores a Paterinis aliisque male de catholica religione sentientibus sparsos, remedia, quae ad eos vel sanandos, vel coercendos adhibita fuerunt, genus superstitionum, quae hominum imbecillitatem occupaverant, factiones ex iis ortas, in quibus enarrandis cum Florentina aliarum Etruriae urbium conjunxit historiam. Vestibula & aditus ad opus ipsum fecit illustres, cum de amphitheatro Florentino, de Majori Templo, & eo, quod *Baptisterium* dicitur, de sepulcralibus monumentis, quae circum illud erant, de antiquis moeniis, de adventu in urbem Caroli Magni, de agro Florentino, ejusque Comitibus, de

Arni cursu, de bonis Episcopi Florentini, de quibusdam aedificiis, & demum de omni fere statu urbis inter Italicas nobilissimae multis verbis egisset. Addidit quoque nonnulla, quibus se grammaticum professus declarat, quid sit barbare loqui, & ex quibus cognosci potest ejus acumen in reprehendendis verbis versutum & solers. Homo, qui a theologia, a philosophia, a jure civili & gentium, ab omnis aetatis historia, omnibusque fere ingenuis artibus erat instructissimus, quique nunquam praeciderat sibi libertatem dicendi, quae sentiret, majus etiam in se onus recepisse videtur, cum Litteratorum ephemerides scribere instituit, quod evenit anno MDCCXL. Tali modo poterat ad libidinem suam quotquot voluisset vexare, sua defendere, nova in medium afferre, hominum ingeniosorum studia ad communes utilitates excitare, deducere de litterarum curriculo, qui ad eas minus idonei videbantur, ac nonnullorum intolerandam jactationem atque insolentiam coercere. Praestitit haec omnia abunde, cumque ii, quos initio comites laboris sibi adsciverat, Jo. Pamphilus Gentilius, Antonius Franciscus Gorius, Joannes Targionius, & Bartholo-

maeus Bianuccius vidissent rem esse periculi plenam, tertium post annum illam reliquerunt. Sed non propterea animum abjecit Lamius, & solus minime dubitavit per totos ferme XXVII. annos onus sustinere referendi quid continerent multi recenter editi libri, deque iis judicandi. Numeri ephemeridum hebdomadis, in quas singulas vulgabantur, respondebant, volumina autem annis. Novo vero ineunte anno, mos erat Lamio de re aliqua disserere, quae semper instrueret, quandoque etiam Lectores delectaret. Cum vero inimicitias ex libertate judicandi suscipiebat, eas se dicebat & temporibus, & reipublicae permissurum. Nunquam profecto scribendi finem facerem, si eos omnes commemorare vellem, qui cum offensione accepere dicta ab illo, & occasionem ulciscendi captarunt. Viginti usque epistolas, quas *Gualfondianas* inscripsit, in hasce ephemerides retulit, ut vellicaret inscitiam ostentationemque eorum, qui gloriabantur se Davos fuisse in interpretandis Eugubinis tabulis, aliisque Etruscae antiquitatis monumentis. Non tulit haec Gorius, qui in his studiis multum operae fru-

stra consumpserat, & postquam insaniam quamdam orationis fudit in libello quodam Lucae edito, cui titulum fecit *Lettere Critiche*, cuique respondit Lamius latens sub Lyncei Academici nomine, curavit quoque illi negotium facessere per eos, qui Francisci II. Magni Etruriae Ducis res publicas administrabant. Vehemens & pugnax apparuit, cum reprehendendum susceptisset opus metaphysicum Jo. Alberti Soriae de Deo & Anima, cui minime profuerunt Gelasti Mastigophori defensiones, quod Lamius, cum sibi videbatur certa aliqua in sententia posse consistere, tantum habebat animi atque roboris, ut multis se parem esse putaret. Adde, quod cum metaphysicum aliquid tractabat, in suo regno versari sibi videbatur, facile concedens aliis rerum physicarum & mathematicarum scientiam. Non libet referre, quae ei cum Eduardo Corsinio intercesserunt, controversias cujusdam Graecae inscriptionis caussa ad Athenienses Archontes spectantis, quod hac de re satis multa in illius viri vita narravimus. Et ut externa quoque nonnulla commemorem, quid non egit, ut criminationes ab se

repelleret Quirinii Cardinalis, Martinenghii, Buttarii Auximatis, Patti Panormitani, Pascoli Perusini? Sed jam ad ista obduruerat, ut interdum humanitatem omnem exuere videretur, cum convellere adoriebatur ea, quae minus recta vel in oratione, vel in rebus judicabat. Valebat etiam in jaciendo mittendoque ridiculo, quo vel mediocriter lacessitus saepe repungebat exultantem adversariorum audaciam; non satis vero in eo laudari potest, quod omnes conatus suos nunquam non adhibuerit ad oppugnandos religionis, sanctiorisque disciplinae hostes, quamvis videret hanc reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse, adeo sunt homines ad rumpenda, vel laxanda officiorum vincula propensi. Quod si gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex hyeme, marique scopuloso servat, cur non singularis ejus existimetur dexteritas, qui ex tantis litterariis procellis incolumis semper evasit, nullumque existimationis detrimentum fecit? Hoc fatum illius esse videbatur, ut quidquid aggrederetur in varias incurreret reprehensiones, nec praevidere sane poterat fore plerosque, qui non

satis dignum docti hominis persona judicarent, quod omnia Meursii opera colligenda, edenda, illustrandaque suscepisset. Sed hi erant fere, qui expertes litterarum Graecarum ignorabant quantum is contulisset ad illas illustrandas, quanquam hac in re satis fecisse videbatur Jacobus Gronovius eruditorum desiderio, cum in Thesaurum suum retulisset omnia ea, quae ad Graecas antiquitates pertinebant. Nihilo tamen minus Lamius suo in proposito perseveravit, minime ignarus extare alia multa Meursii scripta historica, erudita publica sane luce dignissima. *Ubi primum oculos in egregia opera conjeceris* (sic ipse in epistola nuncupatoria alloquitur Riccardium patronum suum beneficentissimum) *miraberis, arbitror, doctrinam hominis incredibilem, & videbis simul temerariam quorumdam ignorantiam atque vecordiam, qui inertiae patroni, & simplicioribus illudendis vana doctrinae specie unice addicti, laudabile editionis hujus procurandae coeptum elevarunt, & se numquam Meursii opera aut legisse, aut intellexisse, apertissima significatione demonstrarunt.* Non uno in loco quoque admo-

nuit lectores suos quot exsorbere difficultates debuit, ut quae erant sparsa atque inedita inveniret atque colligeret, & quot ferre labores, ut ordine disponeret, atque illustraret, dumque lumen de suo lumine accendit, fecit sane, ut omnes intelligerent quam peritus esset Graecae & Romanae antiquitatis, quam callidus omnis eruditionis existimator, & quam ab historia esset instructus. Undecim usque voluminibus totum istud opus constat, in quae intulit quoque suam quamdam dissertationem, ut probaret adversus Jo. Baptistam de Vico Romanos ab Atheniensibus, & Lacedaemoniis suas leges sumpsisse, Tacticam Constantini Porphirogeniti, & Imperatoris Leonis, Strategeticum Imperatoris Constantini a se primum in Latinum conversum, & Cestos Julii Africani, quae scripta omnia ex probatissimis codicibus exscribenda curavit. Multa et attulit de vita Meursii, cui rei perficiendae magno illi adjumento fuere ejusdem epistolae, quas etiam vulgavit. Postquam ex omni antiquitate tot protulerat exempla ad imitandum, libuit illi quoque proponere, quae suae aetatis essent, quare non iis contentus elogiis

Digitized by Google

mortuorum, quae ubique sparserat in Litteratorum ephemeridibus, Latine scribenda suscepit *Memorabilia Italorum* (sic enim opus inscribitur) *eruditione praestantium, quibus vertens saeculum gloriatur*. Nec hujus laudis ita cupidus fuit, ut aliis praereptam omnino voluerit. Nam amicos invitavit, ut ipsi quoque aliquid hujusmodi exararent, ex qua copia tria confecit volumina, quae vitas usque LIII. hominum illustrium continent. Ex iis, quas declaravit Lamius, fortasse judicabis non semper illum hausisse ex Latinis scriptoribus purum quasi quoddam & candidum scribendi genus, ad quam laudem fortasse minime adspiravit. Elegans quidem scriptor videri volebat, cum aliquid Latinis versibus mandabat, quibus profecto minime deest color quidam & succus, praesertim si ad carpendum & ad extorquenda arma e manibus iratorum hominum erant destinati. Minime vero elegantiam desideraveris in iis, quae Etrusce scripsit, ad quae praesertim, cum aliquid narrabat, multa adjungebat ornamenta eruditionis, salis, atque leporis. Plura reliquit, quae fortasse exire atque in vulgus emanare minime potue-

runt, quia sunt nimio sale perspersa, ex iisque nominabimus Dialogos quosdam, quibus reprimere se posse putavit Jesuitarum, & Julii Oricellarii Senatoris iracundiam. Facilius carbones in ore continuisset, quam verba, quae maxime tum sibi, tum etiam reipublicae rationibus conducere arbitrabatur. Quare exagitator fuit acerrimus omnis superstitionis, quae religionem imitari videtur, omnium errorum, quibus vulgus facile & libenter aures praebet, omnis malitiae, calliditatis, atque fallaciae, quibus utuntur homines ad gratiam, potentiam atque famam obtinendam, omniumque ineptiarum, quae saeculum vocantur. Anne ei ineptire nunquam contigit? Immo saepe, nec in adolescentia solum, sed etiam in aetatis flexu, sive nimium ancillis suis tribueret, sive ad bibendum & edendum caupones frequentaret, sive ad plures horas esset iis in locis, in quae convenire solent otiosi homines, & alienarum rerum curiosi investigatores, & saepe etiam maledici narratores. Facile autem est conjicere ex his rebus materiem ipsum calumniandi sumpsisse ejus adversarios, quod fortasse iis pepercisset, nisi

Digitized by Google

in suspicionem quoque adducere omni artificio laborassent ejus de religione sensus. Neque hominibus impotentibus injusta facta profuerunt, cum ab ipso Magno Etruriae Duce Francisco II. apud quem omnes adhibuerunt machinas ad eumdem labefactandum & perdendum, declaratus fuerit aulae theologus cum annuo stipendio cc. centussium. In irritum quoque ceciderunt, quos commoliti sunt, doli, ut ab illo Riccardios alienarent, quos constantes adeo habuit in sui patrocinio, ut ab iis nihil non expectare potuerit. Gratus vero in eosdem non modo fecit, ut noti essent manu scripti codices, qui ornabant illorum bibliothecam, edito ipsorum catalogo, sed etiam multis verbis exposuit vitam Richardi Romuli Richardi hominis litterarum studiosissimi, ex qua occasionem sumpsit plura vulgandi, quae nobilitatem familiae & litterariam historiam Saeculi XVI. declarant, quaeque vetustate & negligentia pene evanuerant. Ac illi quidem saepe numero in summos homines, ac summis ingeniis praeditos intuenti, quibus omni aetate in quoque genere non mediocrium modo artium, sed etiam maximarum floruit Etru-

ria, visum est opus sua facultate dignum, si in eorum vitam, mores & facta inquireret. De veteribus quidem pictoribus, postquam Graeci suas artes reddiderunt Italiae, multa disseruit; multa collegit, quae tum civilem, tum litterariam Etruriae historiam, innumera vero seposuit, quae Ecclesiasticam illustrare potuissent. Et de hac quidem tria edidit volumina cum hac inscriptione: *Sanctae Ecclesiae Florentinae monumenta ab Jo. Lamio composita & digesta, quibus notitiae innumerae ad omnigenam Etruriae, aliarumque regionum historiam spectantes continentur*. Initium illius ab anno LVI. aerae Christianae sumpsit, mensque ei erat sex usque voluminibus totum opus complecti, inchoaveratque jam quarti impressionem, cum ex hac vita migravit. Nunquam profecto satis laudabis criticen Auctoris in rebus dubiis ac verisimilibus ad examen revocandis, in certis confirmandis, falsisque rejiciendis, atque diligentiam in monumentis quaerendis, quibus universum opus ornavit. Si quid peccavit, peccavit perturbatione quadam rerum & ordine, quod ea de caussa accidisse puto, quia cum

aetate jam provectus videret se non posse opus omni ex parte absolvere, ne perirent, quae collegerat, edere properavit. Praeter quam quod solitus Lamius varia eodem tempore suscipere, in singulis non ita elaborabat, ut aliorum industriae nihil relinqueret. Eodem tempore, quo totus esse videbatur in Florentinae Ecclesiae historia contexenda, opus magnum habebat in manibus, quod ad historiam spectabat omnium Orientis Ecclesiarum, initio ducto ab iis temporibus, quae post Concilium Florentinum consecuta sunt. In hoc multum ille studii & laboris posuit, ac ſaepe ad amicorum opem confugit, cum esset ejusmodi, ut sine multorum opera confici haud posset. Nam non solum Patriarcharum & Episcoporum omnium seriem, vices, mores, & scripta continere debebat, sed etiam monasteriorum originem, instituta, disciplinam, & quidquid a Romanis Pontificibus peractum fuit, ut in iis regionibus incorrupta maneret Catholicae religionis integritas, utque sublevarentur pericula eorum, qui pro illa pugnabant. Qualis futura esset totius operis quasi structura, ex iis conjicere poteris, quae de

Corinthi Ecclesia retulit in Volumen IV. *Deliciarum Eruditorum*: sed haec modica, si cum ceteris, quae collegerat, conféres. Latent autem haec omnia in Riccardiana bibliotheca cum ceteris ejusdem scriptis ineditis, ex quibus facile est cognoscere quam multa essent in instrumento ac supellectile Lamii, ut nullum fere eruditionis genus reperiri possit; quod in illo non inesset. Habuerat ille quidem a natura ingenium ad excogitandum acutum, ad explicandum ornandumque uber, & ad memoriam firmum atque diuturnum, quod etiam si minime aluisset industria summa, valebat tamen ipsum suis viribus. Accedebant alia ornamenta, fortis animus atque impavidus, idemque comis, facilis, suavis, quod praesertim apparebat si erranti, vel cupienti ingredi ad studium monstrabat viam. Quare cum pueros inveniebat, in quibus indoles virtutis erat, cum iis ita congrediebatur, ut nil libentius facere videretur. Dolebat saepe juventutem languere, neque perinde, atque debebat, in laudis & gloriae cupiditate versari, quare quantum conniti animo poterat, quantum labore contendere, tantum effi-

ciebat, ut essent, qui majorum illustria facta aemularentur. Nil sane malebat quam praestantiam doctrinae, quam consecutus fuerat, impartire suis, atque communicare cum iis, qui litteris se se consecraverant, in quo si liberalissimum eum fuisse dicam, minus fortasse quam debeam praedicem. Ille autem quod amore patriae censebat nos nostrorum majorum inventa nosse debere, auctor fuit, ut multa veterum historicorum scripta vulgarentur in supplementum Muratoriani operis, quod est de Italicarum rerum Scriptoribus. Omnia circumspiciebat, quae Etruriae suae utilia & gloriosa fore putabat; qui in ea erant doctorum virorum coetus non solum fovebat, sed etiam animabat, omninoque voluisset illam liberare culpa, quod se externis adeo oblinivisset moribus, ut vel illam salubritatem Etruscae dictionis, quasi sanitatem, perdidisset, ac loqui pene dedidicisset. Hac de re plura dixit in Furfureorum Academia, & philosophari visus est, cum aliquando de origine Italicae linguae disseruisset. Eodem studio favebat etiam externis Academiis, in quas erat cooptatus, maximeque Cortonensi, cui

edendas dedit Diſſertationes de ſacris ſerpentibus, & de ciſtis, quas in ſacris Cereris & Bacchi mos fuit clauſas circumferre, ne arcana inſtrumenta ad ſacrum & ad myſteria, quae vulgare nefas erat, pertinentia, a populo cernerentur. Homo, qui cum ſe ad civilem ſocietatem natum eſſe ſentiret, nulli unquam pepercit labori, ut caſtigaret improbos, tueretur bonos, laudaret claros viros, praecepta ſalutis & laudes apte ad perſuadendum ederet ſuis civibus, hortaretur ad decus, revocaret ab ignavia, factaque & conſulta fortium & ſapientum cum improborum ignominia ſempiternis monumentis proderet, ſe beatum putavit, quod bona uſus valetudine in his rebus ſemper occupatus ad LXXIII. uſque aetatis annum vitam produxiſſet. Obiit autem ex peripneumonia poſtrid. Non. Febr. an. MDCCLXX., tumque magis magiſque apparuit qua mente, & qua pietate coluerit religionem, & quanta charitate moveretur erga inopes, & litterarum cultores. Quidquid enim ſumma parſimonia, ſummaque diligentia corrogaverat divitiarum iis ſupremis tabu-

lis legavit (1). Minime tamen defuerunt, qui vel hoc nomine ipsum reprehenderent, quique lites crearent hereditatis huisce caussa. Permisit Leopoldus Magnus Etruriae Dux, ut

(1) Che nel termine d' un anno dal dì della sua morte si vendano tutti i beni di qualunque sorte attenenti a detto Sig. Testatore, e la metà del prezzo, che se ne riceverà, si distribuisca in numero dugento doti eguali, quali si conferiscano a tante povere fanciulle abitanti nei Camaldolì del Carmine di questa Città di qualunque condizione, e costumi elle sieno, purchè abbiano compita l'età di anni dodici, quali debbano essere imborsate ed estratte a sorte dagli infrascritti Illustrissimi e Reverendissimi Sig. Esecutori.

E dell' altra metà del prezzo se ne facciano quattrocento parti eguali, e si distribuiscano a sorte come sopra a quattrocento poveri ammalati di qualunque sorte di malattia, abitanti nelle appresso quattro Parrocchie, cioè di Verzaia, di S. Frediano, di S. Pier Maggiore e di S. Ambrogio, cento parti per ciascheduna Parrocchia, e detta estrazione e distribuzione debba farsi nel termine di mesi sei, dal dì, che resterà effettuata e compita la vendita de' suddetti beni.

ex ea tantum hauriretur, quantum satis esset ad monumentum, ne suavissimi hominis memoria moreretur, cum statua & inscriptione ponendum in S. Crucis Templo, quo nullus est in urbe locus illustrior. Titulus autem est hujusmodi

X 4

Per ragione di legato lasciò e legò al Professore pro tempore di Lingua Greca nell' Università Fiorentina tutti i Libri di detto Sig. Testatore, gravando il medesimo Sig. Professore a farne diligente Inventario per restituire e consegnare i medesimi intieramente a quello che di mano in mano succederà in detta Lettura, e così andar continuando fino a tanto che dureranno, e si conserveranno i Libri predetti, e con obbligo ancora a' detti Sigg. Professori pro tempore di mantenere e conservare i medesimi nello stesso numero, e qualità, intendendo e volendo che in caso d' alcuna, benchè minima mancanza, sia tenuto quel Professore, per colpa di cui sarà la medesima seguita, a surrogare in luogo del mancante altro consimile libro, a tutte sue spese.

Digitized by Google

IXΘΥΣ

JOANNI LAMIO
ECCLESIASTICAE HISTORIAE IN FLORENTINO
ATHENEO PROFESSORI
A DIVO FRANCISCO LOTHARINGIO ROM. IMP.
INTER CONSILIARIOS THEOLOGOS ADSCITO
GRAECE ET LATINE
DOCTISSIMO POLYHISTORI AETATIS
SUAE NEMINI SECUNDO
DE CATHOLICA RELIGIONE QUAM EDITIS
ERUDITISSIMIS COMMENTARIIS ADVERSUS
ARIANORUM IMPIETATEM DEFENDIT
OPTIME MERITO
MORUM CANDORE VERITATIS
TUENDAE STUDIO ET IN EGENOS CHARITATE
QUOS SUPREMIS TABULIS HEREDES
EX ASSE INSTITUIT BONIS OMNIBUS
PROBATISSIMO
PHILIPPUS ELMIUS HEREDITATIS CURATOR
EX AUCTORITATE PRINCIPIS M. P.
VIXIT ANNOS LXXII. MENSES II. DIES XXIX.
OBIIT POSTRIDIE NONAS FEBRUARIAS
ANNI A PARTU VIRGINIS MDCCLXX.
O. H. S. S.

Digitized by Google

Minime necesse arbitror commemorare elogia, versus, orationes, quibus personuerunt Academiae omnes ad tanti viri merita concelebranda, & ad levandum dolorem, quem universa fere civitas ex ejus morte suscepit. Nihil enim praetermisi, quantum eniti potui, quin declararem, quod si ille unus praeter ceteros elaboravit, ut amplissimum nomen consequeretur, certe illum, ut id in omnem posteritatem retineret, dignissimum fuisse.

OPERA EDITA

De Recta Patrum Nicaenorum Fide Dissertatio: Venetiis 1730. Florentiae 1770. in 4. editio secunda auctior & emendatior.

Jo. Lamii Publici Ecclesiasticae historiae Professoris & Riccardianae Biblioth. Praefecti de Recta Christianorum in eo quod mysterium Divinae Trinitatis adtinet sententia libri VI. Florentiae 1733. ex typographio Reg. Cels. in 4.

De Eruditione Apostolorum liber singularis. Florentiae 1738. Secunda autem editio hunc habet titulum: Jo. Lamii de eruditione Apostolorum liber singularis, in quo multa, quae ad primitivorum Christianorum literas, doctrinas, scripta, placita, studia, conditionem, censum, mores & ritus attinent exponuntur, & illustrantur, critice sacra juvatur & promovetur,

Digitized by Google

prima Beati Pauli Apostoli ad Corinthios Epistola passim edisseritur, plura proferuntur inedita, atque Dissertationes quaedam interseruntur, ut de re vestiaria Christiani hominis primitivi: de artibus, opificiis & ministeriis veterum Christianorum; de nobilitate, dignitatibus, muneribus & honoribus primitivorum Christianorum; de doctrina & eruditione eorumdem; de scriptione ipsorum: de codicibus MSS. Novi Foederis, qui in Bibliothecis Florentinis adservantur &c. editio altera instructior & emendatior ad Nereum Corsinium S. R. E. Diaconum Cardinalem amplissimum: Florentiae anno 1766. ex typographio Petri Cajetani Vivianii in 4.

Applausi Poetici per le nozze dell' Illustriss. Sig. March. Cav. Vincenzio Maria Riccardi coll' Illustrissima Sig. Marchesa Maria Maddalena Ortenzia Gerini: Firenze 1733. per li Tartini e Franchi: in fol.

Dissertazione sulle ceste mistiche: *Extat in Tom. I.* de' Saggi di Dissertazioni dell' Accademia Etrusca di Cortona: Roma 1735.

Deliciae Eruditorum, seu veterum *ανεκδοτον* opusculorum collectanea: Florentiae ab an. 1736. ad an. 1769. Tom. XVIII. in 8. *Cum alienis scriptis plura sua vulgavit Lamius, praeter praefationes, quibus universum opus ornavit.*

I Pifferi di Montagna, che andavano per sonare e

furono sonati. Satira in terza rima di Cesellio Filomastige: Leida 1738. in 8.

M. Thymoleontis adversus improbos Litterarum osores Menippea I. Londini 1738. Menippea II. adversus Mutonium Lycoresten. 1742.

Jo. Meursii opera XII. voluminibus comprehensa: Florentiae apud Tartinium & Franchium ab anno 1741. ad an. 1763. in fol.

Novelle Letterarie pubblicate in Firenze dell' an. 1740. fino al 1770. Tom. XXX. in 4. *Quod innumera fere in has ephemerides e suo penu retulit Lamius, horum nonnulla separatim quoque edita fuerunt.*

Anacreontis Teii carmina, quae Jo. Lamius recensuit: Florentiae 1742. in 12.

Dissertazione sopra i serpenti sacri. *Extat in* Vol. IV. de' Saggi di Dissertazioni dell' Accademia Etrusca di Cortona: Roma 1742.

Memorabilia Italorum eruditione Praestantium, quibus vertens saeculum gloriatur: Florentiae Vol. II., *quorum secundum in partes duas dividitur.* Florentiae 1742. 1747. & 1748.

Dialoghi di Aniceto Nemesio in difesa e confutazione delle stolte ed indegne lettere, che contro il libro *de Eruditione Apostolorum* furono date in luce: Roveredo 1742. in fol.

Josephi Rigacci ad suum primum epistolarum Colucci Salutati volumen, Appendix: Coloniae Allobrogum 1742. in 8.

Dialogo del Reverendiss. Sig. Abate Giuseppe Clemente Bini ec. in risposta alla lettera seconda del P. M. D. Fedele Soldani, con cui pretende di confermare alcuni fatti riguardanti S. Zanobi Vescovo Fiorentino: Colonia 1742.

Istoria delle cose operate nella China da M. Carlo Ambrogio Mezzabarba Patriarca d'Alessandria, Legato Apostolico in quell'Impero, e di presente Vescovo di Lodi, scritta dal P. Viani suo confessore ec. Parigi *sine anno in 8.*

Observationes in Bullam S. D. N. Benedicti XIV. qua Ritus Sinici iterum damnantur: Bononiae 1742. in 8.

In Antiquam Tabulam Atheneam Decurionum nomina & descriptionem continentem observationes: Florent. typis Reg. Cels. 1745. in fol.

Chronologia Virorum eruditione praestantium a Mundi ortu usque ad Saeculum Christianum XVI. deducta, Joannis Lamii juvenilis & itineraria lucubratio opus posthumum: Florentiae 1770. typis Regiis in 8.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS.

CORNELIO FRANCISCO NELLIS

ANTUERPIAE EPISCOPO

S. P. D.

Vetus est mos, & majorum exemplo multis in rebus usitatus tractandi quaestiones gravissimas in disputatione & dialogo, quo in scriptionis genere principes fuisse judicantur Plato & Xenophon, qui a Socratis schola non rerum modo maximarum notitiam, sed hunc ipsum morem hausisse videntur. Hic autem in omni judicio elegantissimus multa ornate & copiose litteris mandavit, quae ad vitae officia & mores hominum maxime pertinere videntur, ille quasi philosophiae heres a Socrate, qui nullam reliquerat litteram, institutus fuisset, ejus perfectissimam disciplinam exprimere voluit, at-

que inter hosce non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimos auctores & magistros interest, quod alter voluit se ipsum agnosci auctorem omnium rerum, de quibus disserit, alter, quamvis ipse magna ex parte auctor esset rerum scriptarum, tamen Doctoris laudem antiquiorem habuit sua; nam illum ipsum fere semper inducit loquentem, & persona suppressa, orationem ab ejusdem auctoritate repetit, & si quid perplexum & subobscurum est, quod explicationis indigeat, id totum ad illius partes refert, aut eorum, qui ingenio & doctrina praestantes cum homine familiariter vixerint. Aristoteles & Theophrastus, qui cum philosophia etiam dicendi artem mirabiliter adeo conjunxerant, ut aureum orationis flumen fundere judicarentur, Platonicam rationem scribendorum dialogorum secuti sunt, ita tamen ut minime numeris contorta esset, minimeque poema imitaretur, sed ut liberius & mollius flueret, quippe quae tota comparari debebat ad docendum, non ad capiendum. Postquam vero Athenae omnium doctrinarum inventrices, & in quibus summa dicendi vis & in-

venta & perfecta fuerat, in servitutem redactae, omnique calamitatum genere afflictae fuerunt, litterae novas sedes apud illarum victores quaesierunt, fuitque singularis Populi Romani felicitas, quod habuerit cives non minus ad illas amplexandas fovendasque, quam ad rem publicam amplificandam idoneos. Tum quidem & Marcus Varro & Marcus Tullius mirifice artem scribendi Dialogos excoluerunt, nec dubitaveris affirmare de Cicerone, qui sibi hoc scriptionis genus reservavit non solum ad usum philosophicum & politicum, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, eos ipsos vicisse, quos aemulari sibi proposuerat. Memoriae quoque proditum est dialogos & scripsisse Titum Livium, & fuisse illos elegantissimos atque omnium rerum delectu refertos ex illius historia conjici potest. Qui consecuti sunt, aurea jam exacta aetate, dialogorum scriptores, vix dignos puto, quos iterum legas; sunt enim inornati, carent puro & candido orationis genere, atque inopes sunt a philosophia, quam adeo Dialogis convenire ait Albinus in Platonicis

Digitized by Google

Prolegomenis, ut sine ea jejunos, ac plane frigidos fore arbitretur. Praeter sententiarum gravitatem conditi sint oportet proprio quodam orationis genere, quod quamvis a familiari sermone non multum abhorreat, urbanitate tamen, lepore & suavitate abundare debet, neque recusabit interdum habere quasi in ornatu disposita quaedam insignia & lumina; quare magnus ille judex omnis dictionis Demetrius Phalereus statuit epistolam in inferiore locandam esse ordine, dialogum in superiore. Postquam e tenebris, in quibus per tot saecula misere jacuerunt litterae, ad novam adspiciendam lucem revocatae fuerunt, multi quidem in scribendis Dialogis, praesertim Latinis, satis feliciter se exercuerunt, nec defuit hic quoque ornatus Italicae linguae, quod opera praesertim factum est Balthasaris Castilionii, cujus Dialogi varietate, copia, elegantia, facetiarum & urbanitatis lepore, imitatione sermonis eorum, qui loquentes inducuntur, ut non fictus, sed verus, omninoque aptus personis videatur, & praeceptorum gravitate doctorum omnium plausus

me-

meruerunt. Nostra autem aetate Franciscus Zanottus perelegans & persubtilis scriptor feliciter adeo hoc scriptionis genus tractavit, ut non mentiar, si ceteros omnes illum superasse affirmavero. Cum autem illud reservasset ad explicandam agitandamque quaestionem de viribus vivis, qua nulla iis temporibus apud mathematicos & physicos fuit illustrior, eorum subscripsisse sententiae videtur, qui docuerunt, quemadmodum Tragoediae, & omnino poeticae suam propriamque materiem subjici fabulas, sic Dialogi materiem esse res ad philosophiam pertinentes. Magnum quidem ornatum ille attulit huic laudandarum artium omnium procreatrici & quasi parenti, ut si per se ipsa loqui potuisset, stimulos illi addidisset ad similia simili modo tractanda. Fecit hoc ipsum ante eum Vincentius Riccatus, ex eadem quaestione materiem dialogorum sumens: sed quem elegantia, venustate atque lepore non superavit Zanottus? Cum utriusque scripta inter se compararem, & quaererem, qui non modo ex nostratibus, sed etiam ex exteris hac laude antecelluerunt, ad manus

meas pervenere, quae collegisti ad consolandum te te in tot malis atque miseriis, quibus patria tua opprimitur, dialogosque, quos habitos fingis a coeco montium habitatore, ita libenter legi, ut non mihi videretur ceteris ars relicta ulla ad commovendos sensus, ad commendandam virtutem, ad Dei sapientiam, bonitatem magnitudinemque praedicandam, & ad exagitandos eos, quorum dogmata de statu hujus totius mundi atque naturae partim ficta sunt aperte, partim effutita temere. Tum quidem in animum induxi meum monumentum aliquod posteritati tradere meae erga te observantiae, & ex Riccati dialogis occasionem arripui in tuo nomine vulgandi quae de illius & patris & fratris vita exaravi, quod munusculum non ex re ipsa, sed ex offerentis voluntate metieris. Quod si tanti essem, ut mea scripta tuorum laudes aequare possent, confidentius quidem tecum agerem, neque me tibi purgarem, quod te alta meditantem ac procudentem meis ineptiis interpellare ausus fuerim. Extremum est, ut Deum optimum maximum precer, ut Tibi & patriae tuae

prosperiora ac feliciora concedat; sed in his asperitatibus rerum nunquam te ipsum deseres, neque te adeo addices severioris, ut ita dicam, supercilii artibus, quin identidem ex Musarum etiam cantibus graviorum cogitationum, & publicarum calamitatum allevationem petas. Vale & quid cogites, quid sis acturus, quid moliaris pro nostra conjunctione facies me certiorem. Iterum vale.

Pisis IV. Id. Januarii
MDCCXCVI.

Digitized by Google

DE TRIBUS RICCATIS

Jacobo Patre, Vincentio et Jordano

Filiis.

Saepe evenire videmus, ut qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, cupidissime persequantur. Hinc factum, ut inter Riccatos tres summos & philosophos & mathematicos inveniamus, qui ex ipsa sapientiae stirpe generati videntur, de quibus sic dicam, ut non facile intelligi possit utrum doctiores, an in omni civili & christiana virtute exercenda meliores fuerint. Veteri & illustri familia ii orti sunt, quae

Digitized by Google

quae Tarvisio in Castrum Francum nobilem Tarvisianae provinciae coloniam habitatum concesserat, ex quo oppido Tarvisium rediit. At Jacobus, de quo nunc dicere instituo, Venetiis natus est ex Montino Riccaio Comite, & ex Justina Columna femina primaria, & prudentissima, & diligentissima anno MDCLXXVI. V. Kal. Junias. Dum lustralibus aquis abluebatur in S. Angeli Aede, susceptus est a Francisco patruo nomine Ranuccii Farnesii Parmae & Placentiae Ducis, quem unum majores ejus adscivisse sibi patronum videbantur. Puer patrem amisit. Educatus autem in Brixiano collegio, quod tum Jesuitae regebant, singularis & prope divini ingenii signa dedit, sed institutio ac disciplina perversa, quae tum in scholis dominabatur, illius vim potius retudit, quam auxit. Casu loqui audivit de Galilejano circino, ut nominant, proportionis, quem cum sibi comparasset, ejus mirabilem usum & proprietates noscere concupivit, & geometriam per se didicit. Postea patrui & matris jussu coactus in Gymnasio Patavino operam dare juris prudentiae, sic dedit quidem, ut nunquam ab se curam abje-

Digitized by Google

cerit proficiendi in mathematicis disciplinis, & cum sibi dux esset, penetravit ad Cartesianae algebrae mysteria. Tum frequentare coepit virum sane cum paucis comparandum Stephanum de Angelis, qui astronomiam & mathesin in eodem Lyceo docebat, & a quo plurima adjumenta atque subsidia ad iter reliquum conficiendum se habuisse grate & pie confitebatur. Quo tempore cum ad manus illius pervenisset opus fortasse Newtonianorum maximum, quod inscribitur: *Philosophiae naturalis Principia mathematica*, ad illius arcana se posse penetrare principio desperavit, mox cohortationibus & auxiliis Angelii, & sua ipsa sustentatus diligentia, quod optabat, tenuit, & per hoc quasi caelesti spiritu se auctum fuisse dixit. Id majus esse putavit, quam illis juris prudentiae insignibus decorari, quibus an. MDCXCVI. acceptis, in patriam rediit uxorem ducturus Elisabetham Onigam spectatissimam feminam. Hae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae fuerunt, ex iisque octo nati sunt filii, quinque masculini sexus, tres autem feminini. Familiae cura, aut commodum, aut otium nunquam

removerunt Jacobum a mathematicis studiis, in quibus interdum adeo occupabatur, ut eum vis quaedam a sensu praesentium rerum abstraxisse videretur. Jam universa Newtoniana analysis in sua potestate erat, quod tum perpaucis Italorum contigerat; abundabat etiam veterum geometria, & cum utramque mire conjungeret an. MDCCX. rationem docuit quadrandi post-evolutam cycloidis; egit etiam *de connexione, quae est inter constructionem aequationum analyticarum, & quadraturam infinitarum curvarum algebraicarum*, solvitque problema quoddam, quod Verzalia proposuerat mathematicis & difficillimum existimaverat (1). Alias & solvit quaestiones usus

(1) *Extat in Vol. III.* del Giornale de' Letterati d' Italia. *Est autem hujusmodi*. Trovare la forza centrale, che si richiede ad un mobile per descrivere una data curva in un mezzo ripieno di un fluido, la cui densità varj secondo certa proporzione, e resista al mobile in qualsivoglia altra ragione composta di quella di se stessa, e di qualsisia altra moltiplicata della velocità.

sua quadam methodo expeditissima ad construendas aequationes tum determinatas, tum indeterminatas, quam tanti fecit femina sane intelligens hujusmodi artificiorum & magistra Cajetana Agnesia, ut de ea volumine in primo suarum Institutionum analyticarum plura disseruerit. Id spectabat in primis Jacobus, ut in perdifficili analyseos scientia faciles & expeditas vias reperiret, per quas ipse ceterique incedentes novis gravissimisque inventis mathematicas disciplinas, quae purae & mixtae dicuntur, augerent atque ornarent. Sic cum de radiis osculatoribus semel atque iterum tractandum suscepisset, rationem docuit revocandi aequationes quasdam differentiales secundi ceterorumque graduum ad eas, quae primi sunt, ita ut uno dumtaxat canone quotquot excogitari possunt formulae contineantur, removeanturque difficultates calculorum, qui ad secundas majorisque ordinis fluxiones pertinent. Hac methodo nullam latius patere existimavit, de qua, ut & de problemate, quod sic erat, *dato quacunque ratione radio osculi per curvam describendam hanc curvam describere*, pluribus disse-

ruit in opusculo, quod relatum fuit in Partem III. Vol. II. *Commentariorum de Bononiensi Scientiarum & artium Instituto atque Academia* (1). Odorabatur quam sagacissime poterat quommodo ex uno invento aliud obtineri posset, & ipso res analyticas tractante, omnium difficillima scientia fiebat quotidie & copiosior & expeditior. Cui rei id argumento esse potest. Summus vir Jacobus Hermannus, dum Patavii mathematicas disciplinas publice docebat, in Volumine II. Ephemeridum Litteratorum Italiae suam quamdam elegantissimam solutionem protulerat problematis inversi virium centralium in vacuo, de qua quaestione cum binas solutiones suas an. MDCCX. Parisinae Scientiarum Academiae obtulisset Jo. Bernoullius, ea de Hermanno pronuntiavit, ut invidiae, aut acerbae sane severitatis culpam contraxerit. Illius defensionem pro sua amicitia suscepit Riccatus, & illa conjunctio-

(1) *Agnesia in fine lib. IV. Institutionum Analyticarum exempla dedit hujus methodi.*

ne analysis cum metaphysica, qua saeculum hoc nostrum gloriatur, de ratione, qua solutum est problema (non enim quaestio erat de solutione) usus sua illa methodo ad separandas indeterminatas in aequatione differentiali aptissima, ita disseruit, ut non modo amici gloriae defensor, verum etiam dignitatis suae ascriptor judicatus fuerit. His multa objecit Nicolaus Bernoullius, quem Riccato facile fuit convincere, etsi satisfecerit pietati in defendendo patruo, non satisfecisse tamen aequitati caussae. In his autem, quae ad Bernoullii responsa reposuit, ostendit quibus maxime conditionibus utilis sit sua illa dimidiatae, ut ajunt, separationis methodus, quibus innitatur principiis, & quibus illustretur exemplis. Disces etiam ex iis rationem aequationem curvarum transferendi a foco ad axem, cognoscesque aequationem, quae amplectitur infinitas curvas, quae describi possunt in vacuo a mobili corpore, concessa hypothesi, quod vires centrales sequantur rationem inversam cuborum distantiarum. Illud & animadvertit, quod si in vacuo, mutata lege virium, necesse est mutari indolem cur-

vae, in pleno, quaecumque lex ponatur, si modo densitas medii certa variet ratione, unicam sufficere curvam. In hac disputatione ita se gessit Riccatus, ut veritatis, non contentionis cupidus videatur, & sane Hermannus, quidquid Bernoullii affirmaverint, valde gavisus est talem sibi obtigisse defensorem, quanquam de illo suis in scriptis tacuerit. Non passus vero est Leibnitius propagari longius hujusmodi disputationem, uberrimos licet scientiae fontes contineret, tantique viri voluntati & Bernoullii & Riccatus libentissime paruerunt. Hic vero, ut magis magisque probaret se posse multum in geometria, & hujus studium minime languere in Italia, propositum a Nicolao Bernoullio Italis geometris problema quoddam de legibus, ut ajunt, virium sollicitantium solvit, eodemque tempore de rectificatione logisticae, quam per ipsam ejusdem descriptionem obtinuit, de orbita a corpore descripta, data velocitatis lege, quod problema proposuerat Leibnitius, & de duplici refractione, quam omnes radii paralleli incidentes in sphaeram patiuntur, & de focis primariis & secundariis lentium sphaericarum

egit uberrime, vel demonstrans theoremata, quae prima specie paradoxa videbantur. Prorsus nihil agebat, nihil assequebatur, nihil moliebatur, quod esse abditum voluisset. Quare de indeterminatarum in aequationibus differentialibus separatione singulatim cum tractandum suscepisset, ita opus composuit, ut tres in partes diviserit, quibus & binas appendices addidit. In prima autem parte aliorum methodos exposuit, in secunda sua inventa aperuit, quorum unum, quod dimidiatae separationis appellavit, vel ab an. MDCCXIV. excogitatum, alterum dictum coeficentium & exponentium ab initio indeterminatorum, cujus ope illa tractatur formula, quae ab inventore Riccatiana dicitur, summorum mathematicorum laudes obtinuere, demum in tertia parte de reductione aequationum differentialium secundi gradus ad primum ita egit, ut diversas methodos sane acutissimas, & prorsus novas in medio posuerit. Quod ad appendices vero pertinet, harum in altera docet qua arte evitari possint secundae & ulteriores differentiae, eo nixus fundamento, quod tangentes ac normales, vel subtangentes, & sub-

normales linearum curvarum, aliaeque analogae rectae ita crescunt, & decrescunt, ut in se quodammodo contineant secundas fluxiones. Habet secunda appendix plura ad tertias differentias pertinentia, quibus satis probat methodum quamdam Jacobi Bernoullii locum etiam habere posse in differentialibus inferioris gradus. His si addideris quae de polynomiis tradidit, & animadversiones in aequationes differentiales secundi gradus una cum appendice, quibus ratio traditur noscendi, num reduci possit aequatio differentio-differentialis, si sumatur, vel non sumatur prima differentia veluti constans, facile judicabis, dum recondita hac in arte & multiplici subtilique versabatur, omnia fere, quae volebat, illum consecutum fuisse. Semel inventa via, qua tuto se incedere posse putabat, facile illi fuit multarum artium pene infinitam vim & materiem scientia & cognitione comprehendere, omnibusque probare quantum ex una mathesi ad eas utilitatis atque adjumenti accederet. Quare vere hoc mihi videor esse dicturus, in numero eorum, qui iis temporibus harum artium studia tractantes sibi famam compara-

verant, quanquam in hoc ipso numero perraro exoritur aliquis excellens, sic praestitisse Riccatum, ut par summis esse potuerit. Quod vero matheseos professio suscipere & polliceri videtur, ut obscura illustret, & propter magnitudinem rerum & difficultatem novi semper aliquid proponat, quod viam sternat ad majora detegenda, hoc felici cum successu executus esse videtur Riccatus, multis editis scriptis praeter ea, quae commemoravimus, doctis sane & laboriosis. Cum in spem adductus fuisset posse se nova luce illustrare res mechanicas, vel ab anno MDCCXXII. exaraverat Dinamicae elementa, post quod tempus tria edidit opuscula, ut probaret ab unico capite, quod vocavit indifferentiae, totam aequilibrii ac motus amplissimam doctrinam deduci posse. Quae dum scribebat, respexit semper ad vires vivas, quae sic animum illius praeoccupaverant, ut suspicatus nunquam fuerit nihil in iis inesse, quod re vera sit, cum phaenomena omnia oriantur ab unica velocitate, quam puncto temporis generant potentiarum actiones. Nec minus in eo errasse videtur, cum novi aliquid se invenisse exi-

stimavit de collisione corporum, pro certo reputans, impenetrabilitatem atque inertiam haud separari posse a corporibus, quod facillime fingere, non autem demonstrare potuisset. Sed dum haec illi ignoscimus, laudem non mediocrem tribuendam putamus ob ea, quae de communicatione motus tradidit. Ad haec pertinet schediasma, cujus titulus est; *verae & germanae virium elasticarum leges ex phaenomenis demonstratae*, cuique postea bina alia schediasmata comites dedit, alterum de proprietatibus chordarum elasticarum, alterum de rejicienda hypothesi quadam, quae binis corporibus aequali quantitate motus praeditis, dum binas in chordas prorsus aequales impingunt, vim tribuit eas ita inflectendi, ut inflexionum sagittae sint aequales. At dum ipse gloriari videbatur totam hanc materiem elasticorum corporum se optimo in lumine collocasse, non satis fortasse vidit quaedam esse ab se pro certis atque concessis sumpta, quae ab aliis revocari in dubium potuissent. Post haec septem usque schediasmata exaravit de resistentiis, in quibus sublimior analysis comparet. Si concedas fluidum corpus lo-

Digitized by Google

co pulsum non recedere, verum ad latera ferri, probavit Riccatus, resistentias ortas ab materiae inertia esse aut veluti quadratum, aut veluti cubum velocitatis actualis. Falli in eo potuit, quod cum minime advertisset summam duarum quantitatum, quae imaginariae dicuntur, posse interdum suppeditare realem quantitatem, methodum quamdam proposuit, quae neque generalis est, nec problematis solutioni constructionique inservit. De pressionibus autem & aequilibriis fluidorum corporum pluribus separatim disseruit, tantoque lumine sparsit, quae cum Guidone Grandio disputaverat de motu corporum solidorum in fluidis, & cum Michelotio & Daniele Bernoullio de corollario quodam Newtoniano, quo definitur aquae vis prodeuntis e vase, ut eos manus victas dare coegerit. Attigit & Diopiricam, de qua nihil aliud edidit nisi schediasmata bina, quorum unum pertinet ad focos primarios, & secundarios lentium sphaericarum, alterum probat omnes radios parallelos in sphaeram incidentes duplicem refractionem pati. Neque his finibus suam geometricam doctrinam circumscripsit, cum eam

ad

Digitized by Google

ad caelestia quoque traduxisset. Ducem praesertim sibi Newtonum proposuit, omniaque ejus dicta accuratissime perpendit, haud desperans se posse quoque aliquid novi invenire, aut ea, quae difficiliora putabantur, nova luce illustrare. Tritas quidem ab aliis vias reliquit, cum aut problema solvit, per quod, dato tempore, definitur quo loci sit errans stella, aut theorema demonstravit: *in pleno tempora, quibus arcus trajectoriae describuntur, non possunt esse areis a radio vectore factis proportionalia*. De mutua caelestium corporum attractione, de stellarum fixarum aberratione, de motu & figura terrae, aliisque hujusmodi rebus plura litteris mandavit, quae cum communicare soleret cum Eustachio Manfredio, nunquam non ab eo laudes retulit, factumque ejus testimonio sane honorificentissimo, ut in Bononiensem Instituti Academiam cooptaretur. Quis autem dubitabit, quin tot a Riccato in medium prolatis & accuratis & meditatis commentationibus ipse gloriari potuerit, se in suo regno versari, quoties mathematicum aliquid tractabat? Ea propter noluissem illius industriam plura in studia di-

strahi; sed ab adolescentia tanto flagravit desiderio physicarum rerum scientiae, ut hanc se quoque inventis suis exornare posse putaverit. Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, nec raro evenisse vidimus, ut mathematici, quamvis in arte & multiplici & subtili perfecti evaserint, cum ad naturalium rerum caussas investigandas oculos transtulerunt, ingenii viribus nimium fortasse fidentes, a veritate plurimum aberraverint. Duodecim usque annos consumpsit Riccatus in investigandis principiis ac methodis physicae, quod opus e manibus deposuit, quando cogitationem suscepit de systemate mundi sic disserendi, ut omnibus, quae proponerentur, quaestionibus satisfacere posset. Nemo nunc tam sine oculis, tam sine mente vivit, qui non intelligat finales caussas, vivas vires, mechanicas potentias, quibus tota ferme innititur Riccati physica, nihil conducere ad provehendam naturae scientiam. Illud unum inferri posse videtur ex subtilitate & acumine, quo argumenta sua proponit exponitque, quod si hisce temporibus viveret, multa ab illo rejectum iri, quibus valde as-

sentiebatur. Disserens enim, ut aliquid exempli caussa ponam, de caelestibus quibusdam ignibus, de boreali aurora, de natura & proprietatibus acidularum aquarum facile vidisset, quid electricitas, quid aer fixus efficiant, nec confidenter nimium diluvio tribuisset, quae mare longe reliquit, nec ad avertenda fluminum pericula arte fieri excavationes alveorum proposuisset, & cetera hujusmodi plura, quae longum esset commemorare. Satis vero mirari non possum ei minime arrisisse quae de coloribus docuerat Newtonus, quibus nihil firmius, si experimenta praesertim spectes, excogitari potuit, ut de iis novum systema proposuerit. Neque haec eo animo dico, ut aliquid de Riccati gloria imminuam, qua maxime excelluit vel mathematica tractans, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum beneficia conferens. Quidquid vero ipse scriptis consignavit, quatuor voluminibus comprehensum est, quae typis Lucae impressa fuerunt. De iis vero satis dixisse videbor, si hoc unum addam, nonnulla etiam continere, quae ad historiam, eruditionem, non profanam modo,

Digitized by Google

sed etiam sacram pertinent. Nam cum praeditus esset divina quadam celeritate ingenii, facile, quod volebat, consequebatur, & propter vitae tranquillitatem, & propter ipsius scientiae suavitatem, nihil illi erat jucundius, quam in omni recto studio & humanitate versari. Nil vero tam optabat, quam posse praestantiam doctrinae suae ad aliorum utilitatem conferre, quare sive mandata exequeretur, quae habuit a Veneto Senatu, de dirigendis fluminum aquis, sive patriae negotia administraret, sive privatas scholas haberet, non alienam, sed suam rem agere videbatur. Nec mediocre tempus insumebat, ut responderet iis, qui illius judicia exquirebant, ponebantque quaestiones non solum de mathematicis & physicis rebus, sed & de omni eo, quod in ingenuis artibus versatur. In illis disputationibus, quas habuit Vallisnerius de fontium origine, quam a mari minime repetendam esse ajebat, caussam illius defendit. Copiosissime satisfecit Lionio, cum a se plura quaesiisset de S. Irenaei vita & scriptis. Si quid veterum monumentorum in apricum proferebat aetas, aderat statim Ric-

catus acutus & eruditus explicator. Quantam vero antiquitatis notitiam haberet ex iis, quae de veteri & recentiori statu Asolae urbis litteris mandavit, intelligi potest. Prospiciebat architectis, cum optime teneret quidquid ad aedes bene & ratione aedificandas spectat, & de picturis, & de musicorum modis & numeris satis perite judicabat. Plurimum quoque a poetis consulebatur, cum ipse minime expers esset poeticae suavitatis, ut plurima ejus Italica carmina, lyrica, amatoria, satyrica, jocosa, pastoralia, & vel tragica declarant. Cum primum poesi operam dedit, minime saeculi vitia declinavit, se ipsum postea correxit, & purum quoddam, dulce & moratum secutus est scribendi genus. Nec habitus est tamen in numero poetarum; sed erat talis, ut cum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior, cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non requireres. Ac etiam de eloquentia nonnulla scripsit, ut consuleret Vincentio filio litterarum stadium ingredienti. Multos quoque in morum scientia instruxit, deque ea opus in-

instituit, quod tamen minime absolvit. At hujus disciplinae imaginem in ipso expressam vidisses. Omni enim perfectae virtutis perfecto functus est munere vir magna prudentia, usu & exercitatione rerum praeditus, impiger ad labores, ad prosperam adversamque fortunam paratissimus, prudens ad consilia, ad conjungendas conservandasque amicitias factus, modestus & frugi, idemque gravis & comis, religionis cultor eximius, & supra quam credibile sit patriae suorumque amantissimus. Si his minus deditus, plusque honorum cupidus fuisset, cessisset quidem invitationibus aut Caesaris, aut Moschorum Regis, a quorum altero locus inter eos, quos Consiliarios vocant, ab altero Praefectura Petropolitanae Scientiarum Academiae a se institutae oblata illi fuit, sed contentus iis honoribus, qui a suis dari potuerunt, & honestissimo, quo fruebatur otio, vitaeque tranquillitate parvi semper fecit fortunae & temporum munera, plurimi autem ingenii & virtutis. Vixit ad summam senectutem: mortem enim obiit XVII. Kal. Maii an. MDCCLIV. cum complesset annos LXXVII. menses X. dies autem XVIII.

Digitized by Google

Publice laudatus fuit tum Tarvisii, tum in Castro Franco, atque in illius urbis majori templo sepulcri monumentum habuit.

Cum florentes videret quos susceperat liberos Jacobus, quanto gaudio laetatum fuisse arbitrabimur? Non suis, non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediebatur, quominus iis industriae suae fructus impertiret, & cum senex haberet, in quibus conquiesceret, minime senescere sibi videbatur. Quid autem sentiret de Vincentio, nihil attinet dicere, cum sit notum omnibus quot ipse susceperit labores ad paterna vestigia persequenda. Natus hic est Tarvisii an. MDCCVII. & cum puerulus traditus in disciplinam fuisset Jesuitis, qui moderabantur Bononiense collegium, cui nomen est S. Francisci Xaverii, talem se praebuit ac praestitit, ut ad omnia, quae vellet, idoneus esse videretur. Non

magnae autem fuit deliberationis, quae ratio vitae sibi ineunda esset. Nam cum miro teneretur desiderio adquirendae & christianae sapientiae, & ingenuae omnis doctrinae, idque cum aetate cresceret, huic se non posse melius satisfacere putavit, quam si Societati Jesu nomen dedisset. Praestitit id an. MDCCXXVI. exactoque tyrocinio, dataque opera per annum rhetoricae in urbe Placentia, coepit Patavii ceteris tradere, quae ipse didicerat, nec linguae solum, verum etiam animi & virtutis excellens magister habitus est. Miraberis porro cum ageret de infinitis propemodum poematum generibus, de fabulae utilitate, de ratione tradendae rhetoricae, de fontibus, unde poetae haurire solent, quod mirabile dicitur, de philosophiae genere, quod iis magis convenit, de poeticis idolis, aliisque hujus generis rebus, quae iis temporibus non modo inusitatae, verum etiam inauditae erant in hujusmodi scholis, laudes retulisse vel a Dominico Lazzarinio in Jesuitas male adeo animato, ut eos tanquam eloquentiae, omnisque liberalis artis corruptores insectari minime cessaret. Patavio, ubi quinquennium fuit, Par-

mam concessit, & in collegio illius urbis, quod tum Jesuitae curabant, per annum rhetoricam docuit. Post id ex instituto majorum coepit theologiae operam dare, cujus rei caussa triennium Romae commoratus est. Omne curriculum industriae illius elaboratum est in noscendis Ecclesiae institutionibus atque dogmatibus, & in deerrantium aut erroribus, aut fallaciis detegendis; quia vero non erant ingenii illius disputationes quaedam concertationum plenae, quae ex conjectura pendent, quae huc & illuc trahuntur, nullamque adhibent persuadendi necessitatem, quibusque refertae sunt scholae pene omnes, se ipsum redargui passus est, quod haec aut contemneret, aut parvi faceret. Quod solidum sincerumque esset, quod germanae veritatis expressam effigiem haberet, erat in amoribus Riccato; quare minime est mirandum si totus ferebatur in mathematicas disciplinas, quarum potiundarum spe non modo magnos, sed incredibiles labores suscepit. In his praeter Jacobum patrem, quocum esse solebat autumnalibus feriis, ducem habuit Aloysium Marchentium, seque beatum putavit, quod jussus fue-

rit easdem docere in Collegio S. Luciae, & in urbe Bononia, quae nullo non tempore his studiis, hominibusque in iis excellentibus abundavit. Triginta quinque usque annos munus istud diligentissime exercuit, floruitque semper ejus schola nobilitate discipulorum. Saepe ex eo quaerebatur quid sentiret de ratione vivas, ut loquuntur, vires commensurandi, de qua vehementer adeo inter se disputabant illustriores mathematici, ut nulla controversia celebrior fuisse videatur. Si quid haec res habere potuisset quaestionis, illi quidem sic satisfecit Riccatus, edito Bononiae an. MDCCXLVIIII. dialogo quodam elegantissime scripto, cui titulum fecit *delle forze vive e delle azioni delle forze morte*, ut nihil ultra fieri potuerit, & in eo triumphasse visus est, quod praecipua mechanices capita magnis circumfusa tenebris, & ea praesertim, quae ad inertiae vim, ad aequalitatem, quae est inter actionem, ut ajunt, & reactionem, ad vim centrifugam, & ad aequilibrii naturam pertinent, optimo in lumine collocaverit. Id subinvitasse videtur Franciscum Mariam Zanottum, ut lepore suo omnem hanc

quaestionem condiret, cumque in disputationibus suis a Riccato saepe dissentiret, fortasse quae corrigere voluit, illustriora fecit. Pugnam quoque cum Riccato inivit Felix Aloysius Balassius e Canonicorum, ut vocantur, Regularium familia, qui ex illius schola prödierat, sed id magis audacter, quam perite fecit. Quia, ut diximus, Riccatus aversus semper fuit a concertationibus, responsum nullum adversariis suis dedit; cum vero se se illi obtulit occasio confirmandi ea, amplificandique quae pertinebant ad rem mechanicam, quibusque opus illud referserat, hanc minime dimisit. Gratias etiam egit discipulo suo Jo. Baptistae Nicolajo, quod de tota hac controversia copiose & docte disserens partes suas suscepisset (1). Quoniam nihil est in rerum natura motu corporum admirabilius, nihilque in mathesi & physica difficilius demon-

(1) *Extat Nicolaii dissertatio in libro, qui inscribitur*: Memorie per servire all' Istoria letteraria Tom. I. Venezia appresso Pietro Valvasense 1753. in 8.

stratione earum legum, quibus varii motus simplices, compositi, rectilinei, curvilinei astringuntur; in harum rerum inquisitionem operam praesertim & studium Riccatus dedit. Equidem inter doctos constare video ea, quae uno atque altero volumine complexus est (Opuscula inscripsit) ad explicandam omnem fere mechanices infinitam vim atque materiem, patefacere res obscurissimas, & prodere hominem in analysis mysteriis aperiendis exercitatissimum. Cum Franciscus Maria Zanottus dissereret de iis, quae Riccatus retulerat in II. volumen Commentariorum Academiae Bononiensis de motu composito, quem ex elasticitatis legibus novit, has ad potentiarum aequilibrium explicandum traducens, & ad vectis naturam accommodans, ait non mechanicam modo docuisse veterem, sed & novam instituisse, & nullum fere esse in hac disciplina locum, ad quem haec ratio ingeniosissime a Riccato primum excogitata non pertineat. Per ea, quae memoravimus opuscula, omnem quoque logarithmorum doctrinam ab eo provectam fuisse facile judicabis; nosces quibus veluti finibus circumscribatur Guldinii

dogma de centro gravitatis; minime amplius in dubium revocabis, quae de gravium corporum descensu Ballianius docuit; demum, ne singula persequar, quidquam amplius haud desideraveris, quod ad solutionem pertineat problematis de pendulis, quae vel per circulum, vel per cycloidem moveantur. Demonstrat enim breviori tempore corpus per arcum minimum circularem descendere, quam per chordam, quae illi respondeat, ac propterea vel illustriores mathematicos lapsos in errorem fuisse, quod bina haec tempora aequalia putarunt: ad id probat lapsuum tempora per inaequales circuli arcus esse inaequalia, ut majori tempore majores, minori minores describantur. Itaque vehementer eos falli, qui in arcubus omnibus circuli ejusdem describendis aequale tempus autumant impendere corpora acta a gravitate. Si tamen circuli arcus, quanquam inaequales, fuerint minimi, eosdem isochronos esse ostendit: quo sane conficitur, in ipsis idem evenire, quod in omnibus cycloidis arcubus evenit; neque minus laudabis (& ex his quidem totum ferme secundum volumen opusculorum constat) quae de ratione rectificandi

sectiones conicas docuit, deque mirabili utilitate, quam haec res praebet mathematicis ad integrandas formulas *differentiales*, quae circuli & hyperbolae quadraturam superant. Neque hic constitit ejus labor. Etenim commentarium vulgavit de ratione construendi aequationes *differentiales* per motum tractorium, qua ratione uti poteris in iis aequationibus, quae locum minime dant separationi variabilium, quaeque plerumque alia via ad integrationem perduci minime possunt. Istud argumentum copiose & perite adeo tractavit, nihil ut eam in rem reliquerit ceterorum mathematicorum inquisitionibus. Cum saepe de suis studiis per litteras ageret cum carissimo discipulo suo Philippo Cavina, qui mathematicas disciplinas Calari publice profitebatur, ex his litteris decem supra novem elegit, quas hominum luce dignas putavit, ut pote quae principia a se in mechanicam invecta optimo in lumine collocabant. Recte constitutis iis, quae ad *virtuales* velocitates pertinent, quas neque Galilejus, neque Cartesius ignorasse videntur, planeque patefacta earum natura (probat enim totum hoc caput nihil aliud

esse, nisi verum principium actionum a potentia, & a spatio, per quod ea excurrit, commensuratarum) leges constituere potuit, quae moderantur aequilibria tum solidorum, tum fluidorum corporum, & utrorumque motus. Separatim etiam egit *de principio conjungendo cum principio actionis ad determinandas proprietates motus liberi & curvilinei*, cui dissertationi postea addidit, quae *de motibus liberis & curvilineis in vacuo* exaraverat, atque in his omnibus scriptis non solum plane & perspicue, sed etiam, quantum fieri poterat, eleganter cogitata sua exposuit, quae tanti pretii habita fuerunt, ut harum disputationum inventor & princeps esse judicaretur. Nemo enim ante eum in hujusmodi inquisitionibus versatus erat, & quo erat ingenio, artificia plane nova excogitavit ad integrationes, quas volebat, assequendas, ut penitus rem, quam sibi proposuerat, absolverit. Neque minus summum geometram & mechanicum illum fuisse declarant cetera, quibus ornavit Commentaria Bononiensis Academiae Instituti, pro cujus gloria adeo laborabat, ut ejus caussa omnia vellet. Ut aperiret vero per

quas vias ad tantum doctrinae fastigium pervenisset, utque ceteris harum facultatum studiosis digito fere monstraret iter, quod iis ineundum esset, comite & adjutore Hieronymo Saladinio tum Caelestino Monacho (1), annis LXV., & LXVII. supra MDCC. in lucem emisit *Institutiones analyticas*, in quibus collegit quidquid ad illud usque tempus invenerant illustriores analytici, omnia exemplis & problematibus comprobans, opportunisque animadversionibus exornans. Summis istud opus plausibus exceptum fuit, quo nullum sane extabat locupletius & ad analyseos, sive finitae, ut ajunt, sive infinitesimalis aditus pa-

(1) *Haec in praefatione operis*. Libri porro labor sic inter duos scriptores erat dispertitus. Totius operis methodum Riccatus disposuit: conscribenda vero capita amice divisa sunt. Quae magis subobscura, magisque erant difficilia Riccatus magno studio clara perceptaque reddidit facilia . . . . Caetera vero Saladinus collegit, explicavit, ac multum de suo addidit.

patefaciendos magis idoneum. Per illud multi experrecti sunt ad reconditam artem addiscendam, nec aliud pro labore, & pro opera praemium exoptavit Riccatus, nisi ut Itali hac quoque facultate exteris nationibus minime concedere judicarentur. Tantum is sane Italiae gloriae consuluit, ut saepe ex Alembertio audierim, neminem apud nos extare, qui hac laude Riccato cedere minime deberet. Ipsum autem non tam ista fama delectavit, quam utilitas, quam ex sua doctrina ceteri capiebant. Ea propter facilem se in omnibus admittendis, audiendis, instituendisque praebebat, nec recusavit unquam mandata, quae habuit a Bononiensibus & Venetis suis de dirigendis Rheni, Padi, Athesis, Brentae & aliorum fluminum aquis. Dedit & Senatus Venetus honorificentissimum grati animi sui testimonium, cum curasset cudendum magni ponderis aureum numisma, in quo erat inscriptum: S. C. MDCCLXXIV. MVNVS REIPVBLICAE VINCENTIO COMITI AB RICCATI. Nihil vero dico de Bononiensibus, qui singulares semper dederunt Riccato voluntatis significationes, quae quidem gratae adeo illi e-

rant, ut patriam se minime requirere affirmaret. Isthaec mutua voluntas facile ab eo obtinuit, ut recusaverit ire in Brasile, quo mittere magni nominis mathematicos aliquando cogitavit Lusitaniae Rex ad illius regni geographicam descriptionem peragendam. Dum nunquam in suo studio & opera cessabat Riccatus, factum an. MDCCLXXIII. a Clemente XIV. P. M. decretum fuit de tollendis Jesuitis, quod ita doluit Riccatus, perinde ac si omnis vitae vis adempta sibi fuisset. Neque tum amplius cogitavit de vulgando tertio opusculorum suorum volumine, neque de absolvenda, quam magna ex parte confecerat, mechanices historia (1), & cum in sinum suorum confugisset (singularis enim pietas amorque fraternus nullum patiebatur officii erga illum, studiique munus aut tempus praetermittere) sibi & Deo unice vivere deliberavit.

---

(1) *Absolvit opus istud post Auctoris mortem illius frater Jordanus & illud inscripsit*: Dei principj e dei metodi della meccanica colla loro storia critica libri due.

Quanquam quod fuit unquam ab homine innocentissimo & castissimo praetermissum religionis officium? Quam eximius esset cultor pietatis in Deum, maxime apparebat, cum divinis rebus operam dabat. Quae vero fuerit ejus vitae ratio, dum in patria commorabatur, quae invitamenta habuerit ad publice profitendas mathematicas disciplinas, ex litteris cognosces, quas ad Jo. Antonium Pedevillam amicissimum suum dedit. Quarum litterarum (1) eo libentius mentionem feci, quia

(1) *En earum exemplum.*

Ritornato a Treviso, da dove stato sono lontano per due mesi in circa, ho ritrovato una sua carissima lettera, da cui ho più che mai compreso la bontà, e l' amore, ch' ella nutre verso di me; del che la ringrazio con tutto il cuore, e l' assicuro che nel mio animo ne conservo una vivissima gratitudine. A rispondere alla sua lettera tante sono le cose che mi si affacciano, che non so dove incominciare. L' anderò una dopo l' altra esponendo non con molto ordine, ma in modo che le dichiareran.

Digitized by Google

innuunt, quod me tenuit studium addicendi Academiae Pisanae Riccatum, Boscovichium, Benvenutum, Pucinellium, qui inter Jesuitas

---

no i sinceri sentimenti dell' animo. Non posso negare, che l'abbandono di tanti miei padroni ed amici, di cui conservo memoria, e di lei in particolare, Sig. Abate, non mi sia stata, e non mi sia tutt' ora sensibile. Il lungo domicilio in codesta città, dove ho passata la massima parte della mia vita, m' obbligava a riguardarla quasi come mia patria, per cui protesto, ch' avea grandissimo impegno; mi premea del suo onore, e del suo decoro, e per quanto il permettevano le mie forze mi studiava di cooperarvi. Non manco di farlo anche in lontananza, e ad istanza del Signor Canterzani ho apparecchiati alcuni pezzi da inserirsi nel seguente tomo dell' Ac. i quali riveduti che saranno da mio Fratello spedirò in Bologna. Questi sono dolci memorie, le quali quando mi si presentano, mi contristano assai, e non trovo altro rimedio che distrarmi, e rivolgere ad altri oggetti la mente. Non so, se il ritornare costì fosse per darmi consolazione, o per accrescere la mia contaminazione.

Digitized by Google

floruerunt mathematicae doctrinae laude. Qua de re cum vehementer egissem cum Petro Leopoldo Magno Etruriae Duce, maxima in

---

Venendo al punto principale della sua lettera dopo questo preambolo, le farò varie considerazioni, dalle quali comprenderà ciò, che prudentemente abbia a fare. Ella m' esorta a venir ad occupare una cattedra in codesta Università. Ma ella vede meglio di me, che un forestiero non può pensare a stabilirsi in Bologna co' piccioli appanaggi, che a' Professori si danno. Sarebbe un eccesso, quando mi fosse destinato l'appanaggio di settecento, o ottocento lire: e come si può metter casa, e fare un trattamento conveniente alla mia condizione? Stenterei a venire ancorchè mi si offerisse lo stipendio di dugento Zecchini. Io non nego di non esser d' aggravio alla mia famiglia. Ma lo sarei notabilmente di più, se mi dovesse mantenere in un paese lontano. Avverta, che quello, ch' io faceva servendo una religion, di cui era membro, non m' è più permesso di farlo ora, che sono in altro stato, nè i miei fratelli me lo permetterebbero. Bisogna ancora avvertire, che la mia età è avvanzata, ed i

spe fui perducendi ad exitum, quod propoſueram, ſed eam poſtea varii casus fefellerunt. At Riccatus, qui ſemper aliquid acqui-

---

miei occhj moltiſſimo diffettuoſi, onde ho biſogno di eſſer ſervito, e d'aver perſone che con attenzione ſi prendan cura di me. Quì io ſto bene, e lontano dagli oggetti, che potrebbero deſtare, ed accreſcer in me la turbazione. La mattina me la paſſo facendo un poco di bene, e ſtudiando; il dopo pranzo è cortiſſimo, ed in eſſo ſpediſco l'Ufficio pel dì ſeguente: la ſera me la paſſo in buona compagnìa. Non inſegno gran fatto, e ſtudio unicamente per me: ma non mi ritirerò di farlo, ſe alcuno vorrà applicarſi agli ſtudj geometrici. E' vero, che le ſcriſſi, che ſe foſſi ſtato invitato a Firenze ci avrei penſato, e con ciò volea dire, che ſe non mi foſſe ſtato offerto partito, onde potermi ſenza aggravio della famiglia mantenermi con comodo, e con decoro non l'avrei ſicuramente accettato. Lo ſteſſo dico anche nel caſo preſente. Per altro io reſto con infinite obbligazioni per l'amore e l'impegno, con cui mi riguarda, e ne conſerverò indelebil memoria. Avrei certo ſomma

sivit, quod spectabat & valebat ad bene beateque vivendum (mancam enim & debilem semper putavit doctrinam sine accessione vir-

---

consolazione di poter riveder lei, il Senatore Bonfioli, il Sig. Mariscotti, e gli altri miei amici: ma le vicende de' tempi hanno disposto altrimenti. Sia benedetto il Signore. Riverisca a mio nome il Sig. Senatore Bonfioli, e gli dica, ch' ho ricevuta la dissertazione di M. de la Lande, che s'è degnato d'inviarmi. Conservo di lui vivissima la memoria, e di quando in quando mi studierò di ravvivarla con qualche lettera. Se v' ha notizia letteraria la prego a comunicarmela. Io sto bene, e tutto disposto a servire, ed ubbidire lei, e gli altri amici. Per fine riverendola di cuore mi sottoscrivo.

Treviso li 30. Dec. 1773.

Dev. ed Oss. Serv.
Vincenzo Riccati.

tutum) nec mei, nec aliorum officio & studio eguit, & ab amicis & a suis circumsessus, atque recte factorum conscientia, & futurorum bonorum spe sustentatus, sancte & placide acquievit XVI. Kal. Februarias an. MDCCLXXV.

OPERA EDITA

Dialogo di Vincenzo Riccati della Compagnia di Gesù, dove ne' congressi di più giornate delle forze vive, e dell' azioni delle forze morte si tien discorso. In Bologna. Nella Stamperia di Lelio della Volpe 1749.

Vincentii Riccati Soc. Jesu Presbyteri de usu motus tractorii in constructione aequationum differentialium, Commentarius. Bononiae ex typographia Laelii a Vulpe 1752.

Vincentii Riccati Presbyteri Societatis Jesu De seriebus recipientibus summam generalem algebraicam, aut exponentialem, Commentarius. Bononiae 1756. Typis haeredum Constantini Pisarri, & Jacobi Philippi Primodì. *In hujus*

libri, vere aurei, commendationem afferri potest Gabrielis Manfredii testimonium, quod est hujusmodi: universum opus novis, ingeniosis, ac solidis inventis scatet, quibus serierum in summas algebraicas colligendarum ars per praecepta & regulas digeritur, atque ad analyticam supputationem redigitur, ut si series algebraicam summam non respuunt, hanc per has certe investigationes & examina prodire oporteat. Quapropter eximium hoc opus undique dignum puto, quod auctor clarissimus publici faciat juris.

Vincentii Riccati Soc. Jesu Opusculorum ad res physicas, & mathematicas pertinentium tomus primus. Bononiae apud Laelium a Vulpe 1757.

Vincentii Riccati, Soc. Jesu Opusculorum ad res physicas, & mathematicas pertinentium tomus secundus. Bononiae ex typographia Sancti Thomae Aquinatis 1762.

De' Principj della meccanica Lettere di Vincenzo Riccati al P. Virgilio Cavina Professore delle matematiche in Caglieri di Sardegna. In Venezia 1772. nella Stamperia Coleti.

Praeter haec separatim edita, retulit in commentaria Academiae Bononiensis haec opuscula.

Tom. II. P. II. De caussa physica compositionis, & resolutionis virium.

Tom. II. P. III. Animadversiones in fractionem, cujus numerator & denominator per certam determinationem nihilo aequales fiunt. Animad.

Digitized by Google

versiones in formulam differentialem, in qua indeterminata ad unicam tantum dimensionem ascendunt.

De centro aequilibrii.

Tom. III. De natura & proprietatibus quarumdam curvarum, quae simul cum tractoria generantur, quaeque proinde syntractoriae nominabuntur.

Tom. IV. De motibus liberis, & curvilineis in vacuo.

Tom. V. P. I. De termino generali Serierum Recurrentium cum Appendice.

De motibus liberis, & curvilineis corporum projectorum, quae se se attrahunt per funem inextensibilem transeuntem per datum punctum.

Tom. V. P. II. De aequivalentia potentiarum per principia metaphysica demonstrata.

Epistolae tres, quibus utilitas calculi sinuum & cosinuum in infinitesimorum analysi demonstratur.

Additamentum ad opusculum de termino generali serierum recurrentium cum appendice, quod editum est in hujus tomi parte prima.

De corpore projecto, cui praeter potentiam servantem rationem reciprocam duplicatam distantiarum a centro, applicatae sunt aliae potentiae duae, quarum una dirigitur ad idem centrum, altera est huic perpendicularis.

De quadratura curvarum tradita per summas generales Serierum.

Digitized by Google

Tom. VI. Disquisitio prima. De motu rectilineo corporis attracti, aut repulsi a centro aequabiliter lato.

Disquisitio secunda. De motu rectilineo corporis attracti, aut repulsi a centro, quod fertur motu aequabiliter accelerato, aut retardato.

Disquisitio tertia. De motu corporis attracti, vel repulsi in ratione directa distantiarum a centro, quod quacumque datâ lege movetur.

Disquisitio quarta. De motu corporis, quod iter facit in medio resistente in ratione velocitatis, & quod in ratione distantiae attrahitur, aut repellitur a centro quacumque lege gradiente.

Tom. VII. De quarumdam formularum exponentialium integratione.

Primo in volumine opusculorum quorumdam Florentiae anno 1771. editorum extat: Lettera di Vincenzo Riccati della Compagnia di Gesù al Padre D. Girolamo Saladini Monaco Celestino, e Lettore di Geometria, nella quale trattasi della combinazione del moto rotatorio col progressivo.

Aemulum Vincentius habuit & imitatorem studiorum Jordanum fratrem, qui biennio serius in lucem venerat, & qui cum eo Bononiae educatus fuerat ab hominibus Societatis Jesu. Is quoque a patre didicit mathematicas disciplinas, & cum se socium adscribi laudibus Vincentii audiret, magis magisque illarum studio accendebatur. Attigit etiam Patavii juris prudentiam, & quod non ex hac solum, sed etiam ex aliis multis & magnis rebus civilis ratio constat, has sic tenere studuit, ut aliquando patriae suae utilis esset futurus. Is quae clarorum virorum essent non dubitabat asciscere, & cum minime ignoraret nondum satis esse illustratas litteris musicam & acusticam, ut nullius scriptum extaret dignum quidem lectione, in his artibus ita versari voluit, ut per se e tenebris in lucem evocarentur. Dedit & operam architecturae, & cum

renovandum esset majus templum Tarvisii vetustate fatiscens, ipse formam illius descripsit, & aedificationi praefuit. Aedem S. Theonisti fronte ornavit, & alteram S. Andreae a fundamentis erexit. Scriptis quoque suis hanc artem illustravit, & quae ad arcus pertinent subtiliter & copiose ab eo tractata fuerunt. Ut in cantu ac fidibus, sic in aedificiis harmonia quaedam esse debet, neque mentiebatur Riccatus, cum de se praedicabat se studia sua metiri naturae regula. Est etiam ausus dicere, homines quae sunt ante oculos posita contemnere, & dum quaerunt quod longissime est a communi intelligentia disjunctum, saepissime in errorem rapi. Natura nos docuit animi affectiones voce exprimere, totidemque sunt varietates vocis, ex. gr. acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva, mediocris, lenis, aspera, contracta, diffusa, continenti spiritu, intermisso, fracta, scissa, flexo sono, attenuata, inflata, quanta est varietas ipsarum affectionum. Atque id ipsum transferri debet ad musicam, quae ex tribus omnino sonis inflexo, acuto & gravi tantas & tam suaves efficere potest varietates, ut

Digitized by Google

sermonem & animi motus prorsus exprimant. Quae inde elicit praecepta Riccatus ad modos musicos moderandos, sunt quidem hominis harum rerum intelligentissimi, & sunt in eo genere laudanda laudis, quod ego aptum & congruens naturae nominem. His de rebus edidit ipse an. MDCCLXII. libellum, quem inscripsit; *le leggi del Contrappunto*; sed cum tradita a se majorem quamdam vim habere, & latius patere cognovisset, quam in eo libello exponuntur, opus magnum exaravit quatuor in volumina divisum, in quo omne id complexus est, quod se docuisse ajebat sensum & rationem, quasi fundamenta quaedam scientiae. Nec Latine dici haec, nec paucis explicari possunt: tantum significabo brevi, nihil in musica novi excogitatum fuisse vel a Tartinio, vel a Martinio, vel a Vallotta, vel a Pizzato, nihilque inventum ad titillandas capiendasque aures, quin Riccatus proposuerit quid sentiret, & rationem redderet, quare sensum disparia artificia oblectent, quid sit quod paullo obsoletius dicitur, quid constanter retinendum, quid in suo genere perfectum, ex quibus disputationibus forsitan occurret illud,

difficile esse judicium excellentis maxime suavitatis, & non posse ea, quae inter se discrepant, quamvis genere laudabilia, iisdem praeceptis atque una institutione formari. Profecto mathematicos omnes, qui de musica disseruere, omnia revocantes ad artis praecepta, praeclare locutos fuisse judicaveris; cum audies vero, quae modis musicis illi consignarunt, & aurium voluptatem consules, quam personam teneant, aut quid profiteantur vix intelliges. Atque haec a me idcirco dici minime putabis, quasi laude dignum minime censeam Riccatum, qui otio nimio & ingenio affluens, curanda haec, ac quaerenda, & investiganda duxit. Musicam Damon & Aristoxenus tractarunt; floruerunt in Graecia hac arte doctissimi viri, eique tantum tribuit Plato, ut negaverit mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum: quare quod summis hominibus fuit honestum & gloriosum, minime alienum a dignitate Riccati fuisse arbitrabimur. At illa potiora fuisse putamus, quae acusticae ipse dedicavit, qua in facultate maxime elaborasse videtur. De hac an. MDCCLXVII. Bononiae vulgavit Schedias-

mata usque octo, in quibus de chordis, vel fibris elasticis tam copiose egit, ratione & experientia duce, ut mathesis & physicae studiosis plane satisfecerit. Quidquid ad corpora sonora pertinet, quid in his aer efficiat, quomodo moveantur aures, quae sit conformatio hominis aliorumque animalium ad sonos inflexos, acutos, graves edendos, quae artifices musici invenerint comparandarum voluptatum caussa, quid illustriores mathematici & physici de his rebus omnibus disseruerint, quos saepe emendat errorum caussas detegens, satis bellam ei materiem dederunt conficiendi operis, quod rerum praestantia & novitate ipsa omnium plausus excitavit. Habuit & quae his adderet, cum separatim tractasset de falso sono, de vibrationibus chordarum non aeque crassarum, & de vibrationibus sonoris cylindrorum, & tympanorum, & de his rebus plurimis aliis. Nec recusavit disputare cum Paullo Frisio, ut erroris suspicione liberaret Newtonum in eo, quod hic tradiderat de propagatione aequabili soni, cum definiendam suscepisset hujus velocitatem. Cum vero mente & cognitione perspiceret, quae

stu-

Digitized by Google

studia fuerunt Euleri, Grangii, aliorumque summorum mathematicorum in his rebus inquirendis, timide, vel potius verecunde eorum perpendit sententias, quae si minus illi interdum probabantur, ex reconditiori mathesi, & ex ipsa experientia argumenta afferebat, quae suae dissensionis rationem reddebant. Vel illa, quae ab aliis sumpsisse videbatur, nova luce illustrabat, cui rei exemplo esse potest *methodus inveniendi curvas maximi minimive proprietate gaudentes*, quam omnium primus Eulerus proposuit. Jam ab ineunte adolescentia haec tractare coepit, nec e manibus unquam deposuisse ex eo cognosci potest, quod in iis voluminibus, quae recenter institutae Academiae tum Veronensis, tum Patavina vulgarunt, plura hujusmodi ab eo suppeditata inveniuntur. Jactabat haec ipsa senex, deque nulla re libentius loquebatur, quam de studiis atque laboribus, quos in rem musicam, omneque id, quod ad eam referri potest, impenderat. Porro ostentare etiam potuisset aliarum facultatum, neque vulgarium scientiam. Noverat enim quidquid cum mathesi communi quodam vinculo & societate

continetur ; non mediocriter se exercuerat in humanioribus litteris, in poesi, atque in historia ; tenebat ea, quae ad rem publicam bene & sapienter administrandam a doctissimis viris tradita fuerunt, quaeque experientia confirmasse videtur ; antiquitatis bene peritus erat, omninoque erat homo in omni genere eruditionis, sapientiae atque humanitatis exercitatissimus. Sive vero studiosos doctrinae erudiret, sive mandata, quae saepe habuit a Veneto Senatu, curaret, sive patriae negotia gereret, sive civis & patrisfamilias officia exequeretur, diligens adeo erat illustrium patris exemplorum imitator, ut non facile judicari potuisset, uter utri virtute anteferendus videretur. Consuetudine beneficentiae paratus & tanquam exercitatus ad bene de multis promerendum, illum se amisisse diem putasset, quo alicujus commodis utilitatiqe minime serviisset ; neque unquam tam gaudere visus est, quam cum ad amicitiam consuetudinemque traduxit homines litteris deditos, inter quos erant inimicitiae. Ob has animi dotes tantum omnium amorem sibi conciliavit, ut nemo ei par in civitate poneretur, quod etiam

luctu publico ob ejus mortem, quae accidit XIII. Kal. Sextiles an. MDCCXC. declaratum est. Sepulcrum habuit in majori templo commune cum fratre & patre, ut ii, quorum voluntates & studia tota in vita conjunctissima fuerunt, post mortem etiam quodammodo sociari videantur.

OPERA EDITA

Supplemento all' Elogio del P. D. Ramiro Rampinelli Monaco Benedettino della Compagnia di Monte Uliveto, celebre Professore di Matematica nella Università di Pavia stampato nel Giornale di Roma 1759. *Extat* nelle nuove memorie per servire alla Storia Letteraria T. III. in Venezia 1760. appresso Silvestro Marsilii in 8. pag. 181.

Informazione intorno all' opera: *Elementa Geometriae infinitesimorum Auctore D. Hieronymo Saladini &c. Libri tres. Bononiae* 1760. *Extat* nelle nuove memorie per servire alla Storia Letteraria T. V. in Venezia appresso Giorgio Fossati in 8. p. 273.

Saggio ſopra le leggi del Contrappunto del Conte Giordano Riccati &c. in Caſtelfranco per Giulio Trento in 8. 1762.

Rifleſſioni ſopra la vera origine della forza centrifuga, in Lucca 1763. per Giuſeppe Rocchi in 12. Raccolta d' Opuſcoli.

Prefazione al ſaggio intorno al Siſtema dell' univerſo, ed al trattato della ſeparazione delle indeterminate del Co. Jacopo Riccati. *Extat in primo volumine* delle opere del Co. Jacopo Riccati, Lucca 1762. in 4.

Prefazione all' opera de' principj, e dei metodi della Fiſica del Co. Jacopo Riccati. Lucca 1762. appreſſo Jacopo Giuſti in 4. T. II.

Eſtratto del Saggio ſopra le Leggi del Contrappunto del Co. Giordano Riccati. *Extat* nel Tom. III. num. XIII. art. III. pag. 19. della Minerva; in Venezia 1763. in 12.

Annotazione allo Schediaſma XXIII. *Verae & germanae virium elaſticarum leges ex phaenomenis demonſtratae. Extat in Vol. III. operum Jacobi Riccati.*

Annotazione allo Schediaſma XXIV. della proporzione che paſſa tra le affezioni ſenſibili, e la forza degli obbietti eſterni, da cui vengono prodotte, *ibidem* pag. 287.

Annotazione allo Schediaſma LXXXVI. Difeſa del Corollario II. della propoſizione XXXVI. del Libro II. dei principj Matematici della Filo-

ſofia naturale del Cavaliere Isacco Newton: *ibidem* pag. 425.

Eſtratto di 39. Schediaſmi Fiſico-Matematici del Conte Jacopo Riccati &c.

Eſtratto di 13 diſcorſi di argomento Filoſofico del Conte Jacopo Riccati. *Extant* nella Minerva, Venezia &c.

Prefazione ai diſcorſi d'argomento filoſofico, ed ai diſcorſi d'argomento rettorico, poetico, ed erudito: *Extat in Vol. IV.* delle opere del Co. Jacopo Riccati.

Delle Corde, ovvero Fibre elaſtiche. Schediaſmi Fiſico-Matematici del Conte Giordano Riccati in Bologna 1767. nella Stamperia di S. Tomaſo d'Aquino in 4. *Hoc ſequi volumen debebat II. quod abſolvit Auctor, minime tamen edidit.*

Annotazioni alle *Lettere del Sig. Conte Jacopo Riccati al Sig. Marcheſe Poleni ſopra l'Opera de' Caſtelli &c.* dello ſteſſo Poleni. *Extant in Vol. XVI. pag. 167. collectionis Calogerianae: Venetiis 1768.*

Soluzione della difficoltà propoſta dal Dottiſſimo P. D. Girolamo Saladini intorno ad una propoſizione contenuta nell'opera *delle Corde, ovvero Fibre elaſtiche* del Sig. Conte Giordano Riccati. Schediaſma I. num. XX. cioè che un peſo minore della rigidità naturale d'una cor-

da la rompe. *Extat in eadem collezione Calogeriana* T. XIX. pag. 287.

Riflessioni del Sig. Conte Giordano Riccati sopra l'annotazione allo Schediasma XXXVI. contenuto nel T. III. delle opere del Conte Jacopo Riccati.

Lettera al Sig. Roberto Zuccareda Nob Trivigiano sopra le Regole delle più importanti strutture Architettoniche. *Extat* nel Tom. I. della Raccolta di varj opuscoli interessanti di più celebri autori parte inediti, e parte editi, ma rarissimi. Firenze 1771. Presso Domenico Marzi, e Compagni.

Spiegazione d'una sperienza del Conte Giordano Riccati. *Extat* nella nova Raccolta Calogeriana T. XXI.

Della maniera di costruire un portico, che ascenda lungo un piano inclinato all' orizzonte: *Ibidem* T. XXIII.

Delle Figure piane isoperimetriche continenti la massima superficie: *Ibidem*.

Osservazioni sopra la necessità delle Leggi Dinamiche: *Ibidem* T XXV.

Che lo studio delle matematiche non favorisce la Miscredenza: *Ibidem* T. XXVIII.

Lettera all' autore *del parere sopra un articolo de' Signori Efemeridisti di Roma, che tratta della forza viva*. *Ibidem* Tom. XXX.

Del centro della Percossa. *Ibidem* Tom. XXXI.

Lettera al Sig. Arciprete Giambattista Nicolai Professore di Analisi nell' Università di Padova, in cui nuovamente si difende dalla nota di petizione di principio la formula, colla quale il Cav. Newton determina la velocità della propagazione del suono per l' aria. *Extat* in T. XII. pag. 320. del nuovo Giornale de' Letterati d' Italia. Modena.

Lettera prima del Sig. Conte Giordano Riccati al Chiariss. Sig. Conte Girolamo Fenaroli, nella quale s' indaga l' artifizio, di cui si serve la natura per far sì, che incitata una corda al suono, s' addatti in brevissimo tempo ad una curva bilanciata, ed isocrona. *Ibidem* T. XIII. num. III. pag. 62.

Lettera II. in cui si determina l' equazione generalissima delle curve bilanciate, ed isocrone. *Ibidem* T. XIV. num. XII. pag. 269.

Risposta alle *Riflessioni analitiche del Sig. Abate Gioachino Pessuti già Professore di Matematica nel Corpo de' Cadetti Nobili di Pietroburgo* sopra una lettera scrittagli dal Sig. Abate Conte Vincenzo Riccati, ed inserita nella nuova Raccolta di opuscoli scientifici, e filosofici stampata in Venezia 1776. *Ibid.* T. XV. num. VI. pag. 144.

Lettera del Sig. Conte Giordano Riccati al Signore Jacopo Ab. Pillizzari sopra i Logaritmi de' numeri negativi. *Ibidem* T. XVI.

Lettera III. e IV. del Sig. Conte Giordano Riccati al Sig. Conte Girolamo Fenaroli, in cui supponendosi una penna applicata al punto medio di una corda, si determina, lasciata che sia in libertà, il tempo impiegato a passare dalla prima posizione alla curva isocrona bilanciata, o semplice di un ventre solo, ovvero composta delle due semplici d' un solo ventre, e di tre. *Ibidem* T. XVIII. num. VIII. pag. 236.

Notizie di Monsignore Agostino Steffani Vescovo di Spiga, e Vicario Apostolico negli stati dell' Elettor Palatino del Reno, del March. di Brandeburgo, e dei Principi di Brunswich, compilate dal Sig. Conte Giordano Riccati: *Extat* in T. XXXIII della nuova Raccolta Calogeriana.

Del suono falso. Dissertazione Acustico-Matematica del Sig. Conte Giordano Riccati. Prodromo dell' Enciclopedia Italiana pag. 96. 1779.

Del moto di discesa, e di ascendimento dei corpi solidi immersi ne' mezzi fluidi. Dissertazione Fisico-Matematica. *Extat* in T. IV. della Raccolta Ferrarese d' opuscoli. Venezia 1780. nella Stamperia Coleti pag. 1.

Dei due generi di resistenze, che nascono dalla inerzia della materia, e ritardano il moto dei corpi solidi dentro dei mezzi fluidi. *Ibidem* Tom. V,

Nuova maniera di costruire le Scale Elittiche. Nella N. R. Calogeriana T. XXXV.

Annotazioni del Sig. Conte Giordano Riccati alla lettera del Sig. Co. Jacopo Riccati suo Padre sopra la Trisezione degli Angoli.

Prefazione agli Elementi di Architettura del Sig. Francesco Maria Preti. In Venezia 1780. Presso Giovanni Gatti. *Magna ex parte haec confecit elementa Riccatus*.

Della Figura, e dello sfiancamento degli archi. Dissertazione Fisico-Matematica del Sig. Conte Giordano Riccati. *Extat* nel T. XX. pag. 149. del nuovo Giornale d' Italia. Modena.

Esame del Sistema Musico di M. Rameau. Dissertazione acustico-matematica del Sig. Co. Giordano Riccati. *Ibidem* T. XXI.

Esame del Sistema Musico del Sig. Giuseppe Tartini. Dissertazione acustico-matematica del Sig. Conte Giordano Riccati. *Ibidem* T. XXII. pag. 169.

Estratto degli Elementi di Architettura del Signore Francesco Maria Preti. *Ibidem* T. XXII.

Riflessioni sopra il Libro primo *della Scienza Teorica della moderna Musica del P. Francescantonio Valotti M. C. Maestro di Cappella nella Basilica di S. Antonio di Padova*. *Ibidem* T. XXIII.

Del moto d' un Corpo discendente lungo un lato retto d'un triangolo materiale, che può cami-

nare liberamente sopra un piano parallelo, o inclinato all' orizzonte. Dissertazioni quattro Fisico-Matematiche del Sig. Conte Giordano Riccati. *Extant* in T. IX., X, XII. & XVI. *opusculorum collectionis Ferrariensis*.

Della rissoluzione Cardanica dell' equazioni del terzo grado. Dissertazione Analitica. *Extat* in T. XXIV. pag. 170. del Giornale dei Letterati d' Italia.

Delle vibrazioni sonore dei Cilindri. Dissertazione Acustico-Matematica del Sig. Conte Giordano Riccati stampata nel Tom. I. pag. 444. delle memorie di Matematica e Fisica della Società Italiana. Verona.

Lettera al Sig. Ab. Giuseppe Contarelli intorno alle *riflessioni sulla verità di alcuni paradossi analitici creduti comunemente paralogismi*. *Extat* nel T. XXVIII. pag. 256. del Giornale di Modena.

Lettere due del Conte Giordano Riccati all' ornatissimo Padre Don Francesco Maria Franceschinis Barnabita. *Extant in fine Dissertationis ejusdem Franceschinis, quae inscribitur* della tensione delle Funi. Bassano 1784.

Del centro di Oscillazione. Dissertazione Fisico-Matematica T. XXXIII. pag. 140. del Giornale di Modena.

Del centro di Oscillazione. Dissertazione II. *Ibidem* T. XXXIV.

Delle vibrazioni del Tamburo. Dissertazione Fisico-Matematica del Sig. Conte Giordano Riccati. Nel T. I. de' Saggi scientifici, e letterarj dell' Accademia di Padova 1786. pag. 419.

Della figura del Gorgo, che la natura forma in un vaso cilindrico ripieno di acqua, nel centro del di cui fondo sia aperto un foro circolare, del Conte Giordano Riccati. *Extat* in T. III. delle memorie di Matematica, e Fisica della Società Italiana. Verona 1788. p. 258.

Lettere due al Dottissimo Padre D. Giovenale Sacchi Professore di Eloquenza nel Collegio Imperial di Milano sopra i Duetti dell' Handel, e del Bonocini T. XXXVI. del Giornale di Modena.

Della maniera di costruire le cupole. *Extat* in Vol. XL del Giornale dei Lett. d' Italia Vol. XL.

Lettera al Sig. Giambattista Bortolani Professore di Cembalo, e di Contrappunto. T. XIX. della Raccolta Ferrarese di Opuscoli. Venezia 1787. pag. 129.

Problema. Determinare il massimo allungamento, che il peso d'un pendolo produce nella corda a cui è attaccato. T. IV. delle memorie di Matematica, e Fisica della Società Italiana. Verona 1788. pag. 81.

Della forza viva di alcuni Corpi, che ruotolano sopra un piano, oppure girano movendosi ancora, se così piace per una direzione orizzontale. *Ibidem* pag. 96.

Teorema. Il nulla immaginario non si deve confondere col reale. *Ibidem* pag. 116.

Aggiunta alla Dissertazione della figura, e dello sfiancamento degli Archi del Sig. Conte Giordano Riccati. *Extat* nel Giornale di Modena T. XL. pag. 167. anno 1789.

Lettera I. e II. intorno al Risorgimento della musica all' ornatissimo P. D. Giuvenale Sacchi Professore d' Eloquenza nel Collegio Imperial di Milano. Giornale di Modena T. XLI.

Vita dell' architetto Francesco M. Preti. In Padova nella Stamperia del Seminario *Extat* nell' Enciclopedia Vol. Architettura.

Della Costruzione, e quadratura di alcune volte elunule. *Extat* in Vol. V. degli Atti della Società Italiana pag. 48.

Plurima reliquit inedita Riccatus, quae recensuit Dom. M. Federicius Dominicanus homo in Commentario: Sopra la Vita, e gli Studj del Con. Giordano Riccati nob. Trivigiano. Venezia nella Stamperia Coleti 1790.

Digitized by Google

INDEX VITARUM

Quae in hoc Volumine XVI. continentur.

I.	*Joannes Baptista Ciampolius* pag.	1.
II.	*Carolus Datius*	15.
III.	*Nicolaus Arrighettius*	37.
IV.	*Jo. Baptista Felix Zappius*	54.
V.	*Franciscus, & Daniel Florii fratres*	77.
VI.	*Pyrrhus Gabbriellius*	121.
VII.	*Leonardus de Capua*	133.
VIII.	*Paschalis Carcanus*	144.
IX.	*Gabriel Lancellottus Castellus*	181.
X.	*Ignatius Games Paternò Castellus*	198.
XI.	*Raymundus Cunichius*	216.
XII.	*Hieronymus Tiraboschius*	242.
XIII.	*Joannes Lamius*	271.
XIV.	*De Tribus Riccatis Jacobo patre, Vincentio, & Jordano filiis.*	336.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM
QUAE IN HOC XVI. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Acustica illustrata 379.
Adimarius Alexander 18.
Aletinus Benedictus 142.
Amenta Nicolaus 143.
Andresius Joannes 256.
Apostolorum eruditio 296
Aquilejensis Patriarchatus 76. 82. 83.
Arcadia Romana 60.
Arrighettius Nicolaus ejus vita 32.
Arteaga Stephanus 256.
Averanius Joseph 293. 302.
Azzonius Rimbaldus 255.

B

Bacchiarius Monachus 86.
Balbius Hieronymus 259.
Ballearinii Fratres 85.
Barbierius Jo. M. 255.
Beltrandus 84. 96.
Benedictus XIV. 84.
Bernoullius Joannes 341.
. . . . Daniel 348.
. . . . Nicolaus 342.
Binius Clemens 301.
Blanconius Ludov. 249.
Boscovikius Rogerius 221.
Burmannus Petrus 189.

C

Caesarinius Virginius 4.
de Capua Leonardus ejus vita 133.
Carbonius Franc. 238.
Carcanus Cajet. 129. 144.
. . . Paschalis, ejus vita 244.

Carolus III. 153. 159.
Castellus Gabriel Lancellottus, ejus vita 181.
Catanae Monumenta 212.
Cavina Philippus 362.
Christina Svecorum Regina 24. 140.
Ciaccherius Joseph 118.
Ciampolius Jo. Baptista ejus vita 1.
Cinonii editio 22.
Ciocchius Carolus 261.
Clemens XI 61. 68.
. . . XII. 100.
. . . XIII. 91. 224.
. . . XIV. 366.
Corinthii Historia 319.
Cornelius Thomas 136.
Corsinius Eduardus 210.
Cortenovisius Angelus Maria 73.
Covonius Franc. 63.
Crescimbenius Marius 59. 66. 128.
Cunichius Raymundus ejus vita 216.

D

Datius Carolus ejus vita 15.
Delfinius Daniel 82. 100.
. . . Dionysius 78. 100.
Dialogi quomodo scribendi? 330.
Donius Jo. Bapt. 18.

E

Epigrammata Italica 48.

F

Florentina Monumenta 279. 307. 317.
Florius Daniel, ejus vita 98.
. . . Franciscus Aloysius, ejus vita 77.
Fontanius Franc. 265.
Foscarus Franc. 83.
Frisius Paullus 380.

G

Gabriellius Pyrrhus, ejus vita 121.
Galilejus 1. 3. 11. 15. 26. 37. 362.
Georgius Alexander 250.
Gorius Ant. 309.
Graecorum Pictorum vitae 25.

H

Halaesae Historia 183.
Havercampus Sigebertus 188.
Herculanea monumenta explicata 148. 155.
Hermannus Jacobus defensus 341.
Homeri Interpretatio 228.
Humiliatorum monumenta 245.

I

Jesuitarum laudes 241. 368. reprehensiones 259.

Innocentius XII. 61.
Italiae Historia Litteraria 246.

L

Lamius Joannes, ejus vita 271.
Lampillas Xaverius 248.
Lazzarinius Dominic. 78.
Leibnitius 343.
Ludovicus XIV. 24. & seq. 65.

M

Manfredius Eustachius 349.
Mattiolius Petrus 123.
Maratta Faustina 70.
Marinius Cajetanus 260.
Marottus 224. 237.
Mediceus Leopoldus 22. 23. 41.
Menagius Aegidius 32.
Mercatus Michael 23.
Metastasius Petrus 102. 106 287.
Meursii editio 312.
Miglioruccius 273. 295.
Missorius confutatus 81.
Muratorius Ludov. 82 86.
Musica doctrina 377.
Mutinensis Bibliotheca 252. ejus urbis Historia 257.

N

Neapolitanorum laudes 130.
Nellis Corn. Franc. 319.
Nicolajus Jo. Bapt. 359.
Nonantulani Monasterii Historia 253.

O

Odeschalchius Balthassar 216. 226. 237.
Orientis Ecclesiarum historia 318.

P

Pallavicinius Card. 8. 11.
. . . Jo. Lucas 284.
Panormitanae Inscriptiones 184. Lyceum 193.
Paruta Philippus 188.
Pascolus Leo 297.
Paternò Hyacinthus 182.
. . . Ignatius ejus vita 198.
Paullus V. 5.
Pius VI. 105.
Pizzelia 231.
Platonis Academia 41. Illustrationes 277. 280. Dogmata 281.
Pozzetius Pompilius 261.

R

Ratherius Episc. 85.
Riccatus Jacobus, ejus vita 336.
. . . Jordanus, ejus vita 376.

. . . Vincentius, ejus vita 355.
Riccius Angelus M. 304.
Romanus Joseph 160.
Rufinus defensus 74. 87. 95.

S

Saladinius Hieronymus 364.
Salvinius Ant. M. 275.
Senensium Academia 124 Laudes 119.
Serranius Thomas 250.
Sestinius Dominicus 207.
Sibiliatus Clemens 47. 103.
Sicula monumenta illustrata 185. & seq. Academia 205. 208.
Sirmondius Jacobus 74.
Soria Jo. Albertus 310.
Stroctius Jo. Bapt. 2.

T

Tanusius Marchio 154. 160. 166. 189.
Testius Fulvius 255.
Tiraboschius Hieronymus ejus vita 242.
Torricellius defensus 26.
Tosius Joachimius 216.
Trinitatis Mysterium assertum 283. 290.
Turianus Gasto 80.

V

Valletta Franc. 154.
Vallisnerius Ant. 352.
Vannettius Eques 250.
Vasa Murrhina, quae ? 206.
Veronense Capitulum 85.
Viscontius Ennius Quirinus 177.
Uladislaus IV. Poloniae Rex 13.
Urbanus VIII. 6.

Z

Zamagna Bernardus 226.
Zanottus Franc. M. 333. 358. 360
Zappius Jo. Baptista ejus vita 54.
Zelada Cardinalis 224.
Zenus Apostolus 285.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 9. l. 19. catilenam	cantilenam
20. l. 20. *quod*	*nisi quod*
45. l. 7. laudabilissime	laudatissime
48. l. 9. abtamur	abutamur
78. l. 11. Lazzerinio	Lazzarinio
80. l. 20. Bertelio Canonico & Bernardino de Rubeis.	Bartelio Canonico & Bernardo Mariae de Rubeis.
92. l. 18. Bertolium	Bartolium
93. l. 6. ne assentatorie	quam ne assentatorie
119. l. 15. Alexander	Sallustius Ant.
178. l. 9. restituendam	collocandam
209. l. 9. Ferdin. III.	Ferdin. IV.
255. l. 1. litterris	litteris
275. l. 13. detrahaere	detrahere
322. l. 3. huisce	hujusce
344. l. 13. coeficentium	coefficentium

Addenda ad Jo. Lamii operum Catalogum.

Catalogus Codicum manuscriptorum, qui in Bibliotheca Riccardiana Florentiae adservantur: Liburni 1756.

S. Ecclesiae Florentinae monumenta: Florentiae 1758. Tom. III.

Lezioni d'antichità Toscane, e specialmente della Città di Firenze &c. Firenze 1766. T. II.

005270816 MAGL. 5.6.199.

5270816

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google